ADMINICULA SAPIENTIÆ ATQUE ELOQUENTIÆ,

Sive

Exempla Artis Methodicè Excerpendi,

collecta ex variis *Epistolographis, Historicis, Itinerariis, Antiquariis,* Adnotationibus ad Auctores &c.

ac sub certis Propositionibus

juxta Locos Topicos disposita.

IN PRÆFATIONE PRÆMITTITUR

ARS METHODICE EXCERPENDI;

& post præcepta de ea explicata, subjiciuntur

TITULI PHILOSOPHICI AC THEOLOGICI,

Juxta quos ejusmodi Excerpta diriguntur, novâ & aptâ ratione inter se connexi, conjunctioneque sua *Scientiam* quandam *Universalem, Locosque, ad quos omnes res commode referri possint,* exhibentes,

iterum auctiores editi

à

JOH. FRIDER. HODANNO.

HANOVERÆ,

Sumpt. NICOLAI FOERSTERI, Bibl. Aulici.

ANNO M DCC XIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PERILLUSTRI atque EX-
CELLENTISSIMO

DOMINO

ANDREÆ GOTTLIEB
DE BERNSTORFF,

SERENISSIMI AC POTENTIS-
SIMI ELECTORIS BRUNSVICO-
LUNEBURGICI PRIMO STATUS
MINISTRO,

DOMINO SUO GRATIOSO,

HUNCCE LIBELLUM DEDICAT

AUCTOR.

Digitized by Google

Perillustris atque Excellentissime Domine,

PATRONE MAGNE.

Avor Excellentiæ Vestræ erga bonas litteras omnibus est notissimus. Certatim inde ad Eam accurrunt atque specimina studiorum suorum offerunt, qui in hisce terris litterarum monumentis aliquid consignant.

Digitized by Google

gnant. Illud autem non eſt ſolum, quod me movit, ut præſentem libellum Excellentiæ Veſtræ dedicarem, ſed hoc inprimis, ut indicarem, quantâ Veſtram erga meam tenuitatem aliquoties oſtenſam benignitatem devotione colerem. Benevolâ quæſo! fronte accipiat Excellentia Veſtra hunc reipublicæ litterariæ inſerviendi conatum, ſtudiaque mea ſibi impoſterum de meliore notâ habeat commendata. Sic nullum erit dubium, quin tandem optatum laborum meorum ſcopum feliciter

Digitized by Google

ter ſim conſecuturus. Deus ſervet Excellentiam Veſtram per plurimos adhuc annos ſalvam & incolumem, in totius Electoratûs commodum, reique litterariæ magnum incrementum, quod ex animo vovet

Excellentiæ Veſtræ

devotiſſimus cliens
J. F. H.

Digitized by Google

PRÆFATIO AUCTORIS,

exhibens

(1) Scopum libri

(2) Hiſtoriam ejus

(3) Præcepta artis Methodicè Excerpendi.

§. 1.

Variis jam exemplis notatu dignis *Artem* meam *Excerpendi* magis perſpicuam reddere anniſus ſum, quæ, quantum ſatis eſt, luminis ei accendent. Pauca enim, quæ anno 1702. prodierunt exemplaria libelli, dudum diſtracta ſunt, vidique, eum, à multis benignè excipi. Non ingratum itaque orbi litterato futurum eſſe exiſtimavi, ſi iterum illum ita adornatum emitterem, ut etiam delectationi eorum, qui excerpendi laborem faſtidio habent, inſerviret. Perlegi hac ratione libros varios, ex iisque hiſtorias, interdum etiam fabulas, uſum quendam in vitâ humanâ habentes, variasque ſententias atque

Digitized by Google

acutè dicta collegi, ſub certisque propoſitionibus juxta titulos meos diſpoſui.

§. 2. Non enim videtur Ars Excerpendi alto ſupercilio, ut ſit à nonnullis, contemnenda, ſiquidem ex ea varia commoda in univerſa ſtudia redundant præſertim ſi ita, ut à nobis traditur, aut non longè diversâ à noſtrâ methodo inſtituatur. Ordo ſcilicet Titulorum noſtrorum ob oculos quaſi ponit omnis Philoſophiæ ac Theologiæ ſumma capita, adeò, ut Univerſalis Scientiæ hic ſpecimen quoddam ſiſtatur. Sub Titulis autem ponendæ ſunt ordine convenienti variæ propoſitiones, demonſtrationibus aut ſaltem illuſtrationibus quibusdam muniendæ, quæ nobis indicent, quid de re quadam ſciri poſſit, quidque alii de ea tradiderint. Utile eſt inſtar Mathematicorum theoremata atque problemata, quam breviſſimè id fieri poteſt enunciare, enunciationesque illas demonſtrationibus clariores reddere.

§. 3. Qui hoc pacto per vitam ſuam varios libros perlegerit, lectaque omnia ad titulos ſuos, & ſub titulis ad certas propoſitiones retulerit: illi facile futurum eſt ſyſtema aliquod accuratum apteque cohærens omnium ſcientiarum conſcribere. Rectà rem ponderantes lance omnes artes atque ſcientias per excerpta originem atque incrementa ſua cepiſſe videbimus. Qui enim primum aliquid invenit, id, ſi non ſtatim in litteras retulit, ſaltem memoriæ mandavit: cui deinde obſervationes poſteriores varia locis ſuis addiderunt, quæ vel memoriæ infixit

vel

Digitized by Google

vel chartæ mandavit, atque ita propria inventa excerpsit.

§. 4. Qui studiis per vitam non esset vacaturus, operæ pretium faceret, si titulos nostros sibi redderet familiares, ex quibus omnium rerum inter se connexionem, & quo loco unumquodque inveniatur, exiguo tempore perdisceret. Ordinem vero Titulorum facile quis memoriæ imprimet. Qui enim hosce paucos titulos, *Intellectus*, Supernaturalia, Naturalia, Compositio; Voluntas, Bona, Mala, Divitiæ, Honores, Voluptates, animo complexus fuerit, omnes Titulorum Locos sciet. Videbit etiam, quo pacto omnes tituli ad hos paucos referantur, & rationem reddere poterit, quare hic vel ille titulus hoc vel alio loco extet. Non res innititur multis iisque falsis principiis, sed paucissimis naturâque notissimis: scilicet, intellectum contemplari naturam rerum, voluntatem eligere bona, aversari mala; bona terrena potiora esse divitias, honores, voluptates, erga quæ homo se recte gerere debeat.

§. 5. Conciones ad populum habituro eam præstabit ars hæc sæpius exercita utilitatem, ut facile dijudicet, quænam propositio in textu lateat, quibus ea circumstantiis sit involuta, quibusque argumentis ea probetur vel amplificetur; qua in re præcipua circa *analysin sacram* opera consistit. Nam propositione in textu latente inventa, facile quis eam vel verbis æquipollentibus efferet, vel rem ipsam latius diducet, vel locis parallelis pro-

positionem illustrabit, vel indicabit, quibus argumentis ea alias in scriptura probetur. Hoc facto etiam nullo negotio ex propositione textus aliæ deducentur propositiones, instar usuum populo proponendæ. Est autem tunc propositio textus quasi probatio ejus, quæ ex ea deducta est: & possumus hac ratione in aliis quoque auctoribus legendis rem invertere, & deductæ nostrâ operâ ex thesi auctoris propositioni allatam ab ipso, tanquam probationem, subjicere. Præterea observari poterit respectus, quem propositio educta ad probationem suam habeat: vel etiam attendere convenit, an, quod de re dicitur, sit ejus *causa*, *adjunctum*, *effectus*, idque ante propositionem è textu eductam in Excerptis notandum, ut sic juxta Locos Topicos omnia disponantur, penitiusque in rerum arcana penetremus.

§. 6. Est itaque Ars nostra Methodus quasi Universalis omnium studiorum, docens, quomodo visa, audita & inprimis lecta rectè in usum nostrum convertamus. Maxima studiorum pars libris legendis plerumque impenditur: eum autem felicem esse arbitror, qui ex lectis usum maximum capere sciat. Haud pauci juvenum in scholis degentium ignorant, quid sibi agendum sit, & ob hanc ignorantiam sæpe multam adhibent operam rebus inutilibus atque non necessariis. Monendi hi essent, ut excerptis ex optimis Auctoribus faciendis thesaurum sibi in vitam futuram acquirerent. Multi inter doctos admodum soliciti esse solent

Digitized by Google

ſolent de iis rebus addiſcendis, quæ humanus intellectus omni adhibita induſtria vel difficulter vel nullo modo capit: qui ſi interea in ea, quæ ab aliis jam accuratè tradita ſunt, quæ ſane ſunt quamplurima latiſſimeque patent, inquirerent, illisque colligendis operam darent, melius fortaſſe ſibi conſulerent. Non poſſunt alii ob paupertatem ſibi coëmere prægrandes & pretioſos Excerptorum libros, multa ſcopo ſuo inutilia ſæpe continentes. His Excerpta ſua ex auctoribus hinc inde mutuò petitis parata, loco ejusmodi librorum ſunt, atque per integram vitam ſufficiunt. Mirum eſt, quosdam neſcire, quibus titulis in excerpendo uti debeant, cum illud ex quolibet Lexico addiſcere liceat, ubi voces, res iis denotatas indicantes, extant: meliùs autem ex titulis noſtris patebit. Nemo quoque dubitat, in diſciplinis aptam eſſe debere connexionem, ex qua appareat, quomodo ſinguli termini ſint intelligendi, ut æquivocatio tollatur: quæ connexio cuivis in theſibus titulorum noſtrorum obvia.

§. 7. Ad propoſitiones quidem omnia, quæ excerpſi, reducere conatus ſum: quæ tamen ſæpiſſime ob fugam prolixitatis expreſsè non ponuntur, à legente autem facillime animadvertentur. Propoſitiones jam ejusmodi generales, quales in excerptis à me poſitæ, ſunt inſtar principiorum, ex quibus aliæ plurimæ per conſequentiam deduci queunt. Non magni videtur momenti propoſitio iſta: triclinium hoc eſt amplum. At vero pen-

pen-

pendens, quam multa ex ea deducantur, vim atque ſagacitatem ſanæ rationis atque mentis humanæ ſatis admirari non poteſt. Sequitur enim ex ea: ergo multa materia ad illud extruendum requiſita fuit: ergo, ſi quis parietes ejus tapetibus tegere vellet, multis ad id ulnis indigeret: ergo magni ſumtus in exſtructionem ejus impenſi: ergo multæ menſæ in eo collocari, multique hoſpites in eo cibum capere poterunt &c. Tam feraces etiam aliæ propoſitiones erunt, alias ex ſeſe, ut theoremata mathematicorum corollaria ſua, producentes.

§. 8. Inprimis tales propoſitiones univerſales Dialecticè diſputaturo aut orationem conſcripturo erunt utiliſſimæ. Eſt ſcilicet ars noſtra *perpetuum exercitium atque praxis Logicæ & Rhetoricæ*, Excerptaque juxta eam facta Logica atque Rhetorica Exemplaris optimè dicuntur. Excerpens enim nihil aliud agit, quam ut, quæ in Logica & Rhetorica didicit, in actum deducat, ac juxta haſce diſciplinas auctores reſolvat. Hoc faciens aliud quaſi agendo perſpicit, qua ratione alii tam eleganter ſcripſerint, & ipſe interea adſveſcit, ut eâdem arte ſua conficiat. Quid circa locos Topicos obſervaverim, ex ipſa Excerptorum inſpectione patebit. Tam univerſales illi debent eſſe, ut omnes propoſitiones ad eas revocare liceat, & ut indicent, quomodo prædicatum ad ſubjectum ſeſe habeat, & quænam circa propoſitionem quæri poſſint.

§. 9. Notabiles admodum circa rem quæſtiones

nes ſunt hæ: *an ſit*, *quid ſit*, *quod ſit* ſive an inſit, & *cur ſit* ſive cur inſit. Quæſtio an ſit? de exiſtentia quærit. Ad quæſtionem quid ſit? reſpondetur per definitionem, quæ ex cauſis rei conſtruitur. Per quæſtionem autem, an inſit? ſcire cupio, an hoc vel illud adjunctum ſive proprietas, ex qua deinde fluunt actiones ſive effectus, rei competat: Si tandem quæſtioni, cur inſit? ſatis facere cupio, ad cauſas rei mihi erit recurrendum. Inde patet, quinam præcipui ſint Loci. Ad quæſtionem an ſit? pertinet *indicium & ſignum rei*, *nomen*, *tituli rei*, *quid res indicet* ſive *ſignificet*. Ad cauſam refero hos Locos: *Inventor*, *inventio*, *auctor*, *initium rei*, *incitamentum*, *occaſio*, *antecedens*; *modus*, quomodo res fiat, *medium obtinendi*, *adjumentum*, *inſtrumenta*; *impedimentum*, quod prohibet, ne res fiat; *remedium*, quo res reparatur. *ſubjectum*, *objectum*; *forma*, *ratio formalis*, *ſtatus rei*; *norma*, juxta quam res fit, *finis*. Ad adjuncta pertinent *proprietates*, *mores*, *accidentia*, *concomitantia*, *requiſita*, *ornamentum*, *circumſtantiæ*, *locus*, *ubi*, *tempus*. Ad actionem referre licet *effectum*, *uſum rei*, *conſequens*, *merita*, *pretium rei* ſive *quanti ſit æſtimanda*, *ſermonem rei*, *denotata per rem*; paſſionem, *actum* ſive *operam circa rem*, *affectum alicujus erga rem*, *officium circa aliquid*, *jura*, *privilegium rei*. Libenter confitemur, non eâ curâ hæc à nobis eſſe deducta, quam res ipſa requirere videbatur: interim ea admodum digna eſt ulteriore inquiſitione, quæ Logicam & Rhetoricam

cam esset perfectura. Procul dubio enim plures ejusmodi Locorum denominationes, quam à nobis paulò ante recensitæ sunt, sedulo inquirenti apparebunt.

§. 10. Nullum porro aliud est medium, quod *eloquentiæ studium* facilius reddat, ostendatque clarius, quomodo illud rectissimè tractetur. Institutum namque nostrum primarium est plures de rebus sistere propositiones admodum communes atque generales, cuivis rei aptas, rationibusque suis atque causis, similibus, historiis, testimoniisque illustratas; ut adsit copia propositionum, ex qua, quæ optimè ad scopum nostrum consequendum facient, eligere liceat, & sic ordo etiam in dicendo accuratius servetur. Orationem itaque scripturus, eligat ex thesibus nostris titulum, qui ibidem infiniti : eligat etiam ex Excerptis suis propositiones quasdam argumentis jam ante instructas, nec ulla ipsi cura amplius supererit, quam ut elocutionem addat, & eleganti oratione omnia persequatur. Suppetunt quippe ei jam antea propositiones : suppetunt quoque probationes earum, ad quæ duo omnia in studio oratorio redeunt.

§. 11. Qui autem Excerpta rejicit, ipsam rejicit eloquentiam, obquam ea maxime colliguntur. Sint alii tam ingenioſi, ut ipsos orationem scripturos materia non deficiat : certe ab ordine, quo uti possent, sæpius deflectent, nec materiarum selectum habebunt. Excerpta vero qui sibi comparavit, inspiciat

ciat ea in cœtu hominum dicturus, & videbit, quid de una quaque re & quo pacto dici queat. His facile inter meditandum propriæ cogitationes accedent, quæ ipsi copiam suppeditabunt, ut, quantum cupiat, rem dilatet. Proferet sic ex Thesauro suo nova & antiqua, varietateque rerum jucundus erit audientibus, nec eos ineptâ loquacitate fatigabit: omniaque quæ adducet, firmis probabit rationibus, & rem bene prævisam verba haud invita sequentur.

§. 12. Prodire jam quis velit *in conversationem* virorum honoratorum, quem eloquentiâ lingvæque volubilitate natura non instruxit. Ei, nisi plane mutus colloquentibus assidere malit, svaserim, ut domi antea titulum unum vel alterum in excerptis suis evolvat, resque ibi occurrentes memoriæ mandet; & tunc sermonem ad materiam sibi notam deducat, & sic excerpta sua in usum conferat. Cui autem id affectatum nimis videbitur, me haud invito, quicquid sibi libuerit, faciet. Cum igitur Excerpta tantam præstent utilitatem non solum Logicæ atque Rhetoricæ, sed etiam ipsi Philosophiæ, rectè ea Adminicula Sapientiæ atque Eloquentiæ appellari autumo. *Linguam peregrinam*, si addiscere quis desideret, juxta titulos nostros synonyma vocabulorum, quæ in plerisque lingvis multa sunt maximasque præbent difficultates, colligat: qui labor, quantæ utilitatis sit, re ipsa experietur. Pluribus hæc omnia & forte magis distinctè atque ordinatè exsecuti fuissemus, nisi

alia

alia quædam negotia impedimento fuiſſent. Allata autem, qui rectè expenderit, procul dubio, quo hæc tendant, percipiet.

§. 13. Certum eſt, prodiiſſe huc usque *plures excerptorum libros*, in quibus plerisque vel nullus eſt ordo Methodicus, vel is ſaltem, quem non facile quis mente comprehendat: multa quoque in iis ſuperflua, nec Excerpta ad certam theſin ſive propoſitionem redacta. Si illi juxta talem Methodum examinarentur, titulorumque & propoſitionum, ſi iterum edendi ſint, ordo emendaretur, majoris forte eſſent utilitatis. Imo quicunque in poſterum vellent excerpta vel etiam ſcientiarum ſyſtemata edere, ejusmodi titulorum & propoſitionum ſub titulis ordinem eligere atque ſequendum ſibi proponere poſſent. Non omnibus equidem auctor ſim, ut libros excerptorum colligant, dummodo ab aliis collectis rectè utantur. Si quis autem quædam excerpere cupiat, optimâ id methodo ut faciat, conſultum ipſi erit. Deliberent ergo eruditi, annon ad modum hic monſtratum certus aliquis Titulorum Methodicè diſpoſitorum ordo queat inveniri, quem deinde qui velint, commodè ſequantur. Celeberrimus Tentzelius in Bibliotheca Curioſa Repoſitorii I loculo 2 pag. 200, 201 inquit: **Wenn ich meine eigentliche Meynung heraus ſagen darf, ſo hielte nicht davor, daß es nöthig ſey gelehrter Leute Epiſteln, die ſchon in öffentlichen Druck, von neuem auf zulegen; ſondern es ſolten etliche gute**

Freun-

Freunde aus allen Facultäten eine Societät aufrichten, und aus so viel tausend gedruckten oder ungedruckten Episteln Excerpta machen, dieselben nach den Locis Communibus Theologicis, Iuridico-Politicis, Medico-Physicis, Philologicis, Antiquariis, Historicis tam Ecclesiasticis quam Civilibus ac Litterariis; Geographicis, Astronomicis, Rhetoricis aliisq; Mathematicis & Philosophicis einrichten. Handelte eine Epistel gantz von einer Materie durchaus, so inserirte man sie gantz: handelte sie aber von vielerley Materien, so würden dieselben extrahiret, und iedwede an ihrem Ort, wo sie hin gehörte, beygefüget. Plura ibidem de hac materia legi possunt. Loculo vero 4 p. 405 hæc habet verba: Wenn die gelehrte Societät, so ich im zweyten Fache vorgeschlagen, mit den Epistolis eruditorum fertig, so könte sie nicht allein die kurtzen, sondern auch die ausführlichen Disputationes vornehmen, und nach befinden entweder gantz oder Stück-weise auf vorgedachte Methode zusammen drucken lassen: oder es könten auch einige von der Gesellschafft zu gleicher Zeit die Disputationes, andere die Epistolas vornehmen, und hernach die Tomos von beyderley Gattungen zusammen einrichten und drucken lassen. Sed nullus dubito, partem talium Excerptorum non minimam juxta nostros quoque Titulos in ordinem posse redigi.

§. 14. Magnifiunt apud Oratores scripta Ernstii, Erasmi Franciſci, Happelii, Adami, Langii

Digitized by Google

atque Magiri Polyantheæ, quæ pleraque Adversario aut Alphabetico ordine Excerpta sua sistunt: materiam tamen methodicè excerpturo præberent, atque ad methodica excerpta utilissime reducerentur. Agmine quasi facto docti hodie in lectionem Ephemeridum, historiam rei litterariæ continentium, ruunt atque iis perlustrandis animum oblectant. Hæ autem, cum fere contineant Excerpta ex libris recens editis eo saltem ordine, qualem liber ipse, quem excerpunt, sequitur: quis quæso reprehendet Excerpta ex bonis Auctoribus non sine labore Methodicè disposita? In iis, quæ jam divulgari permitto, ita versatus sum, ut singula Excerpta singulis tantum titulis atque propositionibus subjecerim, cum tamen unumquodque Excerptum ad quamplurimos titulos, forte etiam ad commodiores, quam à me factum est, sæpe referre liceat. Ego institutum meum secutus sum, ne eadem bis oculis lectorum proponerem & liber nimium excresceret. Resarciat autem, qui voluerit, quicquid à me omissum est, & sub pluribus titulis rem memorabilem notet.

§. 15. Posset quis etiam juxta Methodum nostram parare excerpta *ex fabulis antiquorum* juxta moralem ipsarum atque physicum sensum explicatis: alius posset sibi excerpendum sumere *Compendium quoddam Historiæ Universalis*, ut illa aliud quasi agendo addisceretur: tertius juxta ordinem nostrum posset conficere *librum* quen-

quendam *scholasticum*, *utilissimas sententias*, *proverbia*, *apophthegmata atq; similitudines* continentem. Ipse in posterum, Deo volente, horis subcisivis aut ea agam, quæ modo indicavi, aut, ut hoc tempore feci, varios libros perlegam, &, quæ utilia videbuntur, exinde depromam, atque cum Benevolis Lectoribus communicabo, si modo, quæ jam ipsis exhibentur, ut spero, benignè exceperint. *Faxit Deus, ut hæc cogitata mea plurimis occasionem præbeant ulterius multa eruditè investigandi: conservet nobis eruditionem solidam, faciatque, ut omnes, quicquid vel ex aliis didicerunt, vel solerti mentis investigatione invenerint, in Nominis ipsius honorem atque gloriam convertant sempiternam.*

§. 16. Libellus hicce ad editionem jam anno 1704 d. 7. Aprilis paratus erat. Sed varia, ut fieri solet, intervenêre, quæ moram operi injecerunt. Aliis vero negotiis quam plurimis intentus, percurrere, quæ tunc scripsi, atque multa in iis mutare sive emendare nequeo, neque id adeo necessarium esse duco. Excerpta mea si cuique non sint ad palatum, nec debito selectu atque elegantiâ se commendent; poterunt tamen quemlibet incitare, ut meliora juxta placitum suum colligat. Certè non defuerunt mihi causæ, quare hæc, quæ typis expressa conspiciuntur, ex auctoribus à me perlectis excerpserim.

§. 17. Adhibui quidem, fateor, interdum

Digitized by Google

propoſitiones in Excerptis meis admodum generales: ſed id non diſſentit à propoſito meo. Rhetores enim in eo, qui orationem habiturus eſt, copiam talium propoſitionum requirunt, in quas tanquam in Locos Communes, ubi materia alias ſterilis eſt, digredi poſſit. Serviunt etiam illæ ſæpius ad magis ſpeciales propoſitiones probandas, easque illuſtrant. Nec Poëtæ ab ejusmodi notiſſimis theſibus proferendis abhorrent, quod maximè apparet in *Horatio*. Quoties enim ille adhibet ejusmodi enunciationes poëtico colore veſtitas: *Virum juſtum Deus à periculis tutum præſtat. Tempore veris lætandum eſt. Omnibus eſt moriendum.* Nullius quippe rei homines facilius quam talium, quamvis admodum vulgarium propoſitionum, obliviſcuntur: ideoque, cum utiliſſimum ſit eas crebro perpendere, ſæpius hominibus in memoriam revocandæ ſunt. Nec ſanè exiguæ eſt artis in ejusmodi theſibus tractandis ita verſari, ut auditori non ſis faſtidio: quandoque etiam majoris eſt laboris ob generalitatem ſuam illas probare atque illuſtrare quam ſpecialiores quasdam; ut adeo excerptis ad eas recte proponendas indigeamus.

§. 18. Quædam interdum excerpenda elegi, ut monſtrarem, ſub quem titulum illa referri debeant. Si interim cuidam inter legendum commodior titulus inciderit, ſub eo etiam excerpta pro lubitu notet. In ipſis quoque Excerptis quædam poſſint videri nonnullis non valde

valde ſingularia. Sed ſciant illi, me ductum Auctorum à me lectorum eſſe ſecutum, &, quam illi ſuggeſſere materiam aliqua ſaltem ratione notabilem, fideliter ſub titulis ſuis exhibuiſſe. Oſtendere videlicet volui, quomodo etiam ex Auctoribus inferioris claſſis bona quædam ſint colligenda. Venia, quam ejusmodi ſcriptoribus, ex quibus Excerpta deſumta ſunt, non denegamus, etiam mihi indulgeatur. Ex quovis Auctore volebam aliquanto plura Excerpta ſiſtere: cum autem non omnia, apud ipſos occurrentia, æque eſſent ſingularia, adduxi fortaſſe aliqua, quæ alii ſicco pede præteriiſſent. At vero & hoc notandum, uni poſſe videri aliquid ſingulare, quod alteri fortè tale non videatur. Continet ſæpe res excerpta Hiſtoriam aut aliud quiddam non omnibus notum: quod, ſi theſin, cui ſubjectum eſt, aliquando non ita convenienter illuſtrat, alio tamen reſpectu erit lectu jucundum.

§. 19. Cæterum in ordinem redegi titulos meos anno 1698, præfationemque tunc iis præmiſi multa utilia, niſi valdè fallor, continentem, quæque poſtea Viro cuidam litteratiſſimo oblata atque ab eo perlecta, inſignem ejus mihi favorem conciliavit. Eo ipſo, quo libellum confeceram, anno magnopere deſiderabam illum publicè edere atque ſic ſtudia mea Patronis bonarum litterarum commendare: quod & feciſſem, ſi Bibliopola, qui ſumtus in hanc rem impendiſ-

Digitized by Google

set, mihi esset oblatus. Anno demum 1702 animum induxi laborem meum propriis sumtibus edere; præfationemque illam primam tunc omisi addens novam, quæ etiam hanc ipsam primam subsequitur sub nomine Introductionis in Artem Methodicè Excerpendi. Sed, quia illa Prima Præfatio inprimis Historiam suscepti à me operis, continet, atque instituti mei rationem dilucidè explicat: eam etiam Benevolo Lectori hoc tempore invidere nolui.

§. 20. Cum autem Præfatio hæc integra ad *titulum*, quo tunc opusculum meum insigniebam, illudque *Philosophiam atque Theologiam Terminorum* appellabam, referatur: & ille hîc conspici debet. Talis autem erat:

Philosophia & Theologia Terminorum, id est, naturalis omnium terminorum sive rerum sub terminis vel vocabulis latentium connexio, Philosophiam & Theologiam illustrans ac incrementis suis augens, proposita, ut juxta ordinem terminorum & titulorum recensitorum EXCERPTA METHODICA, quæ non requirant indicem, sed titulos absque mora memoriæ suggerant, conficiantur.

Ante ipsam Præfationem hæc monui Lectorem Benevolum: Præfatio conferenda erit cum ipsis Thesibus Titulorum, si exactè institutum nostrum pernoscere cupias. Tria quam maximè hic proponuntur (1) Methodus Excerpendi compendiosa & accurata (2) Compendium quasi totius

totius Philoſophiæ inprimis vero moralis (3) Methodus inventiones Rhetoricas parandi admodum fertilis. Hæc omnia Præfatione lecta & Theſibus ipſis accuratè expenſis facilius innoteſcent. Non dubito, quin libellus tam exiguus, tantas tamen res promittens, quosdam ad lectionem ſit invitaturus. Si igitur vacat, non eſt mora longa, perlege; ſi placet, in commodum tuum converte, ſtudiisque meis pro tua humanitate fave & vale.

Sequitur nunc

Præfatio ipſa, prout à me anno 1698, exceptis paucis, quæ poſtea mutavi, elaborata eſt; in priore libelli editione prætermiſſa, agens de inventione & uſu hujus Methodi.

§. 21. Magno ſemper excerpendi ſtudio ductus fui, nulloque non tempore inſignem ex eo delectationem cepi. Quid enim eſt excerpere, niſi magnorum & in erudito orbe Celebrium Virorum ſententias de variis rebus conquirere, congerere atque memoriæ mandare? Sane, etiam ſi ipſi omnia noſtrâ operâ inveſtigare atque invenire poſſemus, utile tamen eſſet aliorum etiam ſuffragia audire, & an nobiſcum conſentiant vel a noſtra opinione diſcrepent, examinare, ut hoc pacto in theſi noſtra eo magis confirmemur. Filius prudens & rerum gnarus, licet & ipſe proprio marte divitias colligere queat, à parentibus tamen conquiſitas minimè abjicit, ſed eas ſtudioſe cuſtodit, & quotidie augere ſumma opera

Digitized by Google

allaborat. Sic & nobis non negligendi sunt thesauri longa ætate à majoribus nostris summa cum industria comparati. Eos autem facimus nostros, quando excerptis operam damus.

§. 22. De excerpendi necessitate paucos dubitare video: qua autem Methodo hac in re utendum, multi haud sine causa ambigunt. Digna utique res est, quæ ingeniis doctorum excolatur atque perficiatur. Excerpta enim, quando conficimus, ex iis in tota vita magnam utilitatem speramus. Si autem semel ab optima Methodo sit aberratum, difficulter in viam redimus erroremque emendamus. Plerumque enim conscribimus ea in juventute, quæ incitamento est ad variam doctrinam nobis conciliandam. Seniores demum facti, in opibus corrasis facilè acquiescimus, nec sumus soliciti ea, quæ juvenes negleximus, multâ operâ emendare: præsertim cum & vires ad magnos labores necessariæ tunc temporis nos destituere incipiant.

§. 23. Nec mihi itaque in malam partem raptum iri confido, quod magnam impenderim operam, ut certam aliquam Methodum invenirem, in qua tituli naturali ordine ita essent dispositi, ut absque temporis dispendio & indicis evolutione statim memoriæ obversentur & inveniri queant. Quid hac in re præstiterim, facile judicaverit, cui methodos eorum, qui ante nostram ætatem vixerunt, cum nostra conferre placuerit.

§. 24.

Digitized by Google

§. 24. Edidit olim *Calviſius Theſaurum Linguæ Latinæ*, quem ſive ordinem ſive materiam ſpectaveris, vix Momus ipſe reprehenderit, ceu loquitur *Heimburgerus* in præfat. ad Enchiridion Calviſiorum. Edidit quoque *Weinrichius Ærarium Poëticum* Methodice conſcriptum. Extat & *Ioh. Thomæ Freigii Ciceronianus*, in quo ex Ciceronis monumentis ratio inſtruendi locos communes demonſtrata. *Polymathiæ Philologicæ* ſeu totius rerum universitatis ad ſuos ordines revocatæ *adumbratio*, à Iohanne Ionſtono concinnata, proſtans Francof. & Lipſiæ, ſumtibus edita Eſaiæ Fellgibelii Bibliop. Wratislav. 1667, cum ordine Methodico Titulorum, ſiſtit eruditionem præcipue antiquariam, ex multis auctoribus collectam. Anno 1669 prodiit *Henr. Lud. Evers Syndici Calbenſis ſeries titulorum Ethicorum & Politicorum excerpentibus utilis.* Francofurti anno 1674 ſecundò editum eſt *D. Ioannis Ioachimi Becheri Novum organon Philologicum*, ſeu concordantia vocabulorum quoad ſignificationem & connexionem Phyſicam. Ex horum accurata inſpectione & cum noſtra hac opera collatione apparebit, quantos labores Methodi hujus conquiſitio mihi pepererit.

§. 25. Equidem non ſum neſcius, *Friſchlinum* emiſiſſe libellulum methodicè conſcriptum, omnium rerum titulos continentem: *Keckermannum* etiam variis editis ſcriptis excerpendi ſtudium & excitare & adjuvare voluiſſe. Prætera

terea Celeberrimus *Morhofius in Polyhiſtore* mentionem facit *Benzii* cujusdam, qui ſententias bonorum Auctorum libro aliquo methodicè elaborato complexus ſit. Titulus libri eſt: *Bentzii Theſaurus elocutionis oratoriæ Græco-Latinus novus* Baſil. 1581. Sed quoniam hos aliosque tractatus hanc materiam illuſtrantes mihi inſpicere nondum licuit, mea etiam opera inde adjumenti aliquid haud ſumſit.

§. 26. Impeditum vero aliquoties fuit meum excerpendi ſtudium, poſtquam animadverti, excogitari poſſe Methodum, quæ titulos omnes in certum ordinem redigeret, & ſic laborem hunc longè redderet faciliorem. Pertæſum enim ſæpius erat Methodi illius adverſariæ & tumultuariæ, in qua tituli, prout legentibus occurrunt, ſcribuntur, iisque farrago rerum ſubjicitur. Offerebat tunc ſeſe *Philoſophia*, quæ ſicut *eſt omnium, quæ humano captu percipi poſſunt, ſcientia*, ita etiam titulos omnium rerum tradere debet. Hoc perpendens libros Excerptorum antea à me confectos diſcindebam, & ex Compendiis quibusdam Philoſophicis, in primis ex *Balthaſaris Cellarii tabulis Ethicis, Politicis & Phyſicis* titulos capiebam, libroque Excerptis dicato juxta ordinem in tabulis inventum inſerebam. Cum autem cernerem multos, eosque utiliſſimos titulos ſic deſiderari, de locupletandis iis ſolicitus eram, & ſemper quosdam, qui mihi occurrebant, ordine retento prioribus immiſcebam.

§. 27.

§. 27. Pergebam itaque aliquantisper in via, quam semel ingressus eram, & quidem non infeliciter; quamvis tamen mox suboleret eam suis etiam defectibus laborare. Incidebat tunc animo omnes libros, quos de hac materia scriptos viri docti reliquerunt, quorumque particeps fieri poteram, pervolvere, ut dispicerem, an illi methodum aliquam certam, in qua tuto subsistere liceret, tradidissent. Ad manus meas sic perveniebant *Drexelii & B. Placcii Hamburgensis de arte excerpendi* libri. Facile mihi esset hic adscribere methodos variorum auctorum, quos mihi legere contigit, quarum Methodorum contemplatio utilitatem non minimam habitura esset: inprimis *B. Hülsemanni*, *B. Henrici Wideburgii* viri, dum viveret, etiam de me optime meriti, *B. Casparis Cörberi* Eloquentiæ quondam Professoris in Acad. Iulia, à quo me audire memini, excerpere esse nihil aliud, quam rerum antecedentia & consequentia colligere, sive quid de re prædicetur & de quo res prædicetur: Præterea *Sam. Diterici* Inspectoris Rupinensis, qui inter alia in Concionatore extemporaneo p. 152 auctor est, ut bibliorum margini adscribamus, ubicunque dictum aliquod in *Thesauro Vogelii* extet. Sic enim nos porismatum Theoreticorum & Practicorum magnam habituros copiam. Idem commentus est *Methodum Excerpendi juxta Locos Lullianos*. Possem etiam hic sistere Methodos *B. Thomasii Lipsiensis*, *Ioh. Christoph. Stor-*

Storkau, *Th. Bartholini*, *Ioh. Lockii Angli*, *Weisii*, *Udenii*, *Ludovici* Rectoris Schleusingensis, *Hübneri* Hamburgensis, cujus titulos omnes, quos in Quæstionibus suis Oratoriis tanquam primarios & ante alios Excerptis ornandos commendat, meis titulis, quantum fieri potuit, inserui atque eos ita auxi; *Metzleri* Pastoris Hohenleinani, *Ioh. Christiani Koch* Pastoris in pago Lentz prope Haynam, & *B. Sagittarii*: sed metuens prolixitatem operæ parco.

§. 28. Cum autem sic non invenirem, quod ex asse animo satisfaceret, ipse rem propria industria aggrediendam esse censebam; ac primo quidem singulis disciplinis Philosophicis, imo ipsi Theologiæ Dogmaticæ ac Morali tribuebam singulos libros, in quos facientia ad explicationem earum congerebam. Deprehendens denique, hæc quoque Excerpta oratori Ecclesiastico non sufficere, arripiebam *B. Dan. Crameri Hodegum Biblicum*, qui tanquam excerptus ex integro S. Codice, plerasque materias, maximè autem Theologicas continere debebat, ex eoque titulos desumebam, & *prout naturaliter cohærent*, connectebam, ita tamen, ut nulli me disciplinæ, nulli hypothesi adstringerem, sed ipsam naturam ducem sequerer. Hinc ordinem, ubi in colligendo neglectus erat, quantum fieri poterat, restituebam, eum inposterum tempore ita ferente ulterius emendaturus. Animadverti tunc, res vel *ab intellectu* cognosci vel *à voluntate* appeti: volun-

voluntatem autem appetere & actionibus acquirere ſtudere *bona*, & inter illa *Divitias*, *Honores & Voluptates*, juxta quæ bona res pleræque diſponi poſſunt. Vidi etiam, quemadmodum voluntas appetit bonum, ita etiam eam fugere & avertere conari *malum*, & inprimis *morbum bella*, varia *ſcelera* hominum. Præterea intellexi, ante omnia in Phyſicis *compoſitionem* rerum accuratè eſſe conſiderandam, & ex varia compoſitione rei variam ejus etiam naturam atque accidentia oriri. Hæ hypotheſes poſtmodum ad plurima recte perpendenda fuerunt mihi utiliſſimæ, & laborem meditationi huic impenſum egregiè compenſarunt. Eadem facilitate tales tituli, quoniam non ſunt ita abſtracti & à communis vitæ uſu remoti, memoriæ infigentur, quam quindecim illi Becheriani, qui ſunt: *ſubſtantia, qualitas, quantitas, locus, tempus, guſtus, odor, viſus, auditus, tactus, potentia agendi, voluntas, ratio, virtus, Theologica:* aut nomen hi Lulliani: *Bonitas, magnitudo, duratio, poteſtas, ſapientia, appetitus, virtus, veritas, gloria.*

§. 29. Proponebam mihi poſtea omnia *vocabula Hebraica* in V. T. occurrentia ſecundum Methodum inventam excerpere: quod licet tunc quidem ruditer tantum fieret, magnam tamen rei, in quam cogitationes defixeram, attulit lucem. Nec ſane inutilis eſſet lingvæ Hebraicæ ſtudioſo talis liber, in quo omnes voces juxta ſeriem methodo noſtro exhibitam *cum Synonymis*

ſuis

ſuis extarent: quem longè citius & majore cum commodo, utpote methodicè conſignatum, ediſceret ſacra tractaturus, quam lexicon aliquod ordine Alphabetico conſcriptum. Pleraque enim vocabula memoriæ prius mandanda puto, quam lectionem ipſam ingrediaris. Ex hac enim omnium notitiam ſibi comparare velle & magis dubium atque incertum, magisque moleſtum atque incommodum eſt, quam ſi parvo cum temporis diſpendio nec adeo magno cum labore, quem ordo facilitat, vocabula admodum neceſſaria ſecare edidiceris. Obſervari tunc, voces: *colligere, occultare, ducere, expectare, efferre ſe* & multa alia quatuor, quinque, ſex vel ſeptem diverſis vocibus in Hebraico idiomate exprimi: quas omnes ſi diſceris uno obtutu intueretur, næ is magnam hujus lingvæ difficultatem ſibi detractam videret.

§. 30. Sic etiam *in proprietatem veramque ſignificationem vocum* accuratius inquiri, & quodnam vocabulum intenſionem, quodnam remiſſionem actionis, quodnam circumſtantias rei adjunctas denotet, diligenter exponi: nec non, quodnam Metaphoricè rem ſignificet, quodnam propriè, & quæ ratio translationis: ſimulque ad quas res vox una metaphoricè traducatur, quoties vox in eadem ſignificatione occurrat, de quanam materia voces extent, de quanam deſiderentur, quot voces de eadem re occurrant, erui atque indicari poſſet. Præſtitit in hac

hac connexione aliquid *Io. Förſterus in dictionario* ſuo, cujus conatum B. Pfeifferus in Hermenevtica Sacra magno ornat encomio. Noſtrum tamen propoſitum ulterius ſe extendit. Eſſet hic liber quaſi Lexicon aliquod univerſale totius V. T. & inſtar concordantiarum perfectiſſimarum, utpote in quo, quando una vox evolveretur, etiam reliquæ eandem vel non plane diverſam ſignificationem habentes reperirentur. Quo illa quoque commoditas accedet, quod uſum ex eo capturus nullo indigeat indice: cum memoriæ ejus uniuscujusque vocis ſedes facile inhæreat. Nec dubium eſt, hac etiam ratione in omnes auctores indices parari poſſe. Sed hæc obiter monere volui.

§. 31. Tandem, ne ætatem in methodo ſtudiorum invenienda tranſigerem, ſed ſtudia ipſa aliquando aggrederer: arripiebam *Polymnemon Tob. Magiri*, & ex eodem depromtos titulos in ordinem diutino labore inventum reducebam. Et, quoniam in confeſſo eſt, naturam de DEO pauca tradere, omnia, quæ de rebus divinis ex revelatione nobis innoteſcunt, ad claſſem rerum Theologicarum referebam. His addebam titulos depromtos ex *Hodego Crameri, Vocabulario Hebraico, Ciceroniano Freigii, excerptis meis*, quæ antea confeceram & aliis. Ut autem rerum quoque Theologicarum titulos in aliqua perfectione ſiſterem, adibam *ſcholam pietatis Gerhardi*, Mürdels Chriſt Wider-Chriſt, *Mulleri*

Mulleri Liebes-Kuß, *Sonthoms* güldenes Kleinod, *Lutkemanns* Vorschmack Göttlicher Güte, *Aug. Pfeifferi Antimelancholicum*, *Arndii* inprimis *verum Christianismum*, titulosque ex iis depromtos in ordinem convenientem redigebam. Aptavi etiam hanc editionem ita, ut omnes tituli, secundum quos *Jus privatum Romano-Germanicum* Dn. D. Gottlieb Gerhardus Titius nova ratione disposuit, vel reipsa hîc compareant, vel haud difficulter ad præsentes, inprimis quando saltem modos rerum subſtratarum indicant, reduci possint; ut adeo Iurisconsultis etiam ex ordine titulorum nostro usum capere liceat. De titulis *Hübnerianis* insertis dixi §. 27. Si versus dicitur a vertendo, hoc certe opus à versura nomen habere debebit. Toties enim illud in aliam formam traduxi, toties mutavi, ut ultra decem anni circa hanc materiam versanti abierint, donec tandem opusculum præsentem faciem nactum sit.

§. 32. Necesse jam est, ut quædam de genuino hujus Methodi *usu* subjiciam. Dubium hic primo cuidam videri possit, quare olim vocaverim eam Philosophiam Terminorum (de Theologia eadem est ratio) cum notissimum sit Philosophiam in nudis terminis neutiquam consistere. Sed huic objectioni obviam itum est in ipsa tunc facta inscriptione, quando dicebatur, aptam connexionem terminorum Philosophiam atque Theologiam illustrare atque incrementis suis augere.

Digitized by Google

augere. Facile autem quis videt, nomen Philosophiæ in tam rigoroso sensu hic non sumi, quam quando Philosophia dividitur in Theoreticam & Practicam. Res pro diversitate hypothesium variat, & si supponas, Philosophiam tantum versari circa substantiam, pars ea, quæ practica est, à Philosophia excludetur. Ut igitur rei accurata, exacta & methodica cognitio scientia dici: ita & de nomine Philosophiæ participare poterit. Nec est alias insvetum, *sapientes* vocari *quarumlibet artium magistros*. Cur igitur terminorum notitiam habenti eorumque rectam compositionem cognoscenti nomen sapientis non conveniat, cum ex hac præcipue maxima in Philosophiam redundent commoda? Stoici sane, inter reliquas Philosophorum sectas non infimi, Logicam Philosophiæ partem fecere. Si quis itaque libros Aristotelis de prædicamentis ad Philosophiam referret, quod ad eam percipiendam studiosum præparent, multumque adjumenti ad ejus cognitionem afferant; is, quæ hîc exhibentur, longè meliore jure eo pertinere judicabit.

§. 33. Hic enim *Loci* monstrantur, ad quos omnes *subsantiæ* reducantur. De *quantitate* agendum ad §. 82 tit. nostrorum. De *qualitate*, quæ habet Aristoteles, pleraque etiam hic sese sistunt. Conquisivi enim omnes fere actiones, distribuens eas secundum suos locos. Actio autem præsupponit potentiam, & potentia sæ-

pius ad actum translata facit habitum. Habitus demum, quemadmodum ex crebris actionibus oritur, ita & est propter actiones, ne à rectitudine debita aberrent. Qui ergo cognoscit actiones, in potentiam, juxta quam suscipiuntur, & habitum, qui eas perficit, facilius inquirit. Ad passiones pertinent affectus, quorum quilibet locum sibi debitum etiam in his titulis occupat. Neque patibiles qualitates hic omissæ. Prædicamentum *relationis* sub se complectitur respectus personarum in societatibus, de quibus agitur §. 112 seqq. De *tempore* agit §. 58 seqq. de *loco* 54, de *situ* 56, de *habitu* 144. Dum autem hic, quæ ad Prædicamenta spectant, habentur, facile pervidetur, Prædicabilia etiam hic proponi. Referuntur enim hic *species* ad sua *genera*; specierum autem accurata inter se collatio *differentiam* pandit. Potentiæ naturales sunt *propria* sive affectiones, quæ pertinent ad prædicamentum qualitatis. *Accidentia* nec fluunt ex essentia, nec ejus partem necessariam constituunt. Quænam autem rei accidant, etiam hic perspicere licet. Sic quoque Logicam juvat nostra methodus.

§. 34. Quæ insuper alias in scientiis occurrunt, nempe *demonstrationes & definitiones*, eadem & hîc si non formaliter, saltem virtualiter comparent. Ponuntur enim primo certa principia, in hac præfatione §. 28. adducta, quibus deinde conclusiones suæ quasi subjiciuntur, ex qui-

quibus porro aliæ concluſiones deduci queunt. Dicitur §. 77. titulorum noſtrorum: *de bono, quod adepti ſumus, gaudemus.* Inde talis collectio: in hoc homine eſt gaudium, E. bonum aliquod adeptus eſt, aut ſe adeptum eſſe putat. §. 102. docetur, *honorem eſſe ob bonum aliquod.* Hinc colligo: huic homini honos defertur. E. quoddam in eo bonum conſpicitur. §. 105. indicatur, *converſantes debere eſſe bonis moribus.* Inde argumentor: eſt bonis moribus. E. aptus ad converſationem. Ex §. 129. diſcimus, *vicinos* ſe amare ob habitationem continuam, *populares* ob communem patriam. Quis ex enumeratione hac eorum, qui amicitiam colunt, non colligat, *rem certam adeſſe debere, quæ amicos ad amicitiam impellat?* Hæ ſane collectiones ſunt demonſtrationes tales, quales res practicæ admittunt.

§. 35. *Definitio* autem uniuscujusque rei, ſi non accurata, ſaltem aliqualis ex terminorum hic traditorum connexione & connexorum obſervatâ differentia rectè colligitur. Definiendus ſit ex. gr. *ſermo*; ex §. 106. & collatione terminorum contiguorum talis definitio exſurget: *ſermo eſt & ſonus ortus à lingva verba & voces formante converſationis gratia.* Sit definienda *admonitio* ex §. 75, quod hac ratione fiet: *admonitio eſt incitatio alterius ad actionem ſuſcipiendam ob ſalutem ejus, qui incitatur.* Rurſus definiturus *fidem*, ſic ex §. 88. procedere poteſt:

Digitized by Google

fides est firmum propositum justitiam sequendi, dirigens commercia & omnem fraudem cavens. Virtutem enim per firmum propositum definiri posse indicat Auctor Institut. Iurisprud. l. 1, tit. 1 justitiam ita describens: *Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Hoc tamen firmum propositum oritur ex crebris actionibus, in quibus fidem nostram ostendimus.

§. 36. Institui præterea potest ex hac methodo *terminorum* apta *combinatio*, disputaturo & orationem scripturo valde proficua, utpote magnam propositionum copiam pariens. Non dicimus hîc tantum: sume probationis medium ex loco causæ, adjunctorum, effectuum: sed insuper quænam causæ, adjuncta, & effectus rerum sint, indicamus, adjungimusque omnibus rebus, quæ ipsis competunt, ipsasque rerum affectiones inter se componere docemus. Sic de *honore* acturus, ex §. 102. seqq. discit, quænam sint *causæ, quare alterum honoremus:* ex §. 112. *ubi obtingat* honor, nempe in societate; ex §. 130. *quidnam honorem sequatur:* ex §. 131. *quænam moderentur honorem:* ex §. 132. *quinam honore careant.* Et sic in reliquis. Quis non videt, quanta hinc propositionum oriatur copia? Deinde *unius rei affectiones ad alteram relatæ* ejus naturam quodammodo declarant. Sic, ut honor ita & divitiæ bonum aliquod sunt. Quæ igitur de divitiis dicimus, ad honoris naturam expli-

explicandam adhibere licet. Divitiæ ſunt vel magnæ vel parvæ: ſic etiam honores. Divitias habemus vel domi noſtræ vel extra eam: ſic etiam honore nos afficiunt vel eodem nobiſcum habitaculo concluſi, vel qui remotius à nobis abſunt. Divitiæ acquiruntur (1) per teſtamenta: ſic & nobilitas per generationem ad nos transmittitur. (2) Per commercia: ſic & ſunt commercia, quibus honor acquiritur, nempe converſatio, & omnia, per quæ innoteſcit alii, bonum nobis ineſſe. Divitiarum nimius amor avaritia: honoris ſuperbia eſt. Ut divitiæ ita & honores aliis communicantur per traditionem ſive totalem ſive partialem. Eodem modo & divitiis omnia tribui poſſunt, quæ honori: cum hæ ſint etiam bonum, ob quod exiſtit honor.

§. 37. Præterea, *quæ de bono in ſpecie*, ut de divitiis & honore *traduntur*, *ea bono in genere conſiderato accommodari*, & vice verſa, *de bono in genere allata ad bonum in ſpecie applicari poſſe* nullus dubito. Eadem ratione etiam verſandum in voluptate, & *Summo Bono*, quod *eſt virtus*, *ipsâ actione exercita*; quæ ſummum bonum appellatur, quia *reliqua bona nempe opes*, *honores & voluptates dirigit*, *& imperat*, *quid circa ea agendum*. Pariter, quæ de *actione* in genere a §. 64. usque ad 77. afferuntur, omnibus actionibus bonisque applicanda erunt. Et quoniam *corpora* materiam communem habent, de iisdem

Digitized by Google

etiam affectionibus quodammodo participant. Porro, quæ de corpore dicuntur, actionibus omnibusque bonis applicanda: & de actionibus & bonis dicta, naturæ corporis explicandæ inſerviunt.

§. 38. Hinc oritur, quod, *ſi quæ cognata ſint, eorum ſæpe unum pro altero ponatur*: quo & pertinet, quod vitium virtutis nomen ſæpe mentiatur. Hinc etiam omnes Metaphoræ & Tropicæ locutiones dijudicandæ: hinc fundamentum omnis ſimilitudinis innoteſcit. Ita, *ſi vox homonyma ad hoſce terminos conferatur, æquivocatio ſtatim ſeſe prodet, veraque ſignificatio invenietur.* Dicitur §. 62. bonum movere affectus, in ſpecie §. 63. amorem, ut agere decernamus. Cum actione conjunctus eſſe debet conatus, induſtria, ſolertia ex §. 67, virtus ex §. 68, prudentia ex §. 70. In terminis Theologicis Spiritus S. hominem ungere & illuminare dicitur §. 92, & §. 91. dicimur uniri cum Deo. Hæc cum ſe ordine ſuo invicem ſubſequantur, ſæpe unum pro altero ponitur. Inde virtute præditus magno cum affectu, conatu, ardore atque ſolertia rem agit, quando magno impetu in virtutem ruit. Sic in Scriptura Spiritus Dei hominem inhabitare eumque agere perhibetur, quando hic in re maximi momenti magnam virtutem exercet, quam utique Deus ſingulari ſua adſiſtentia efficit. *Eſt* ſcilicet *virtus habitus hominem inſtruens in unaquaque actione ſuſcipienda,*

&

& docens, quid hic quid illic agendum. Singulas actiones ſua virtus moderari debet, & quicquid absque virtute fit, recte fieri non eſt cenſendum. Paratur illa ex crebra obſervatione eorum, quæ & nos antea egimus & ab aliis acta cognovimus: ſi nempe actionem cum lege naturæ convenire animadvertentes, eam ſæpius ipſi ſuscipimus, donec ex crebra illa actione habitus agendi in nobis oriatur. Gratia autem Spiritus S. hominem præveniens incitat eum, ut obſervationes atque actiones ejusmodi inſtituat atque habitum virtutis ſibi acquirat. Quem itaque Spiritus S. induit, quem inhabitat, impellit, agit & movet, ille exercet virtutem, ſe recte gerit, habet rectum amorem, audet aliquid, conatur, eſt ſolers, prudens; eum Deus inhabitat: is eſt vir bonus atque ſapiens.

§. 39. Spiritus Sanctus autem primum in homine excitat pias quasdam cogitationes impellentes eum ad bona agenda, & qui ad hujus Sanctiſſimi Spiritûs monitum bene agere non tantum incipit, ſed & in rectis actionibus ſedulò pergit, nec piis ejus motibus reſiſtit: fit alius homo, nanciſcitur habitum virtutis, novas habet vires intelligendi & volendi, non delectatur iis, quæ perverſis hominibus in oculis hærent, omni vi ad bonum agendum proruit, & per bona opera oſtendit, ſe habere fidem. Delibare hic quædam poſſumus de conjunctione fidei & bonorum operum. Hæc Dei dona habiturus *regenerari*

nerari debet; ubi, depositâ prius immunditiâ naturaliter adhærente, novæ intellectui & voluntati vires adduntur rectè credendi & piè vivendi. Regeneratus itaque & rectè & salutariter credit & pie vivit. *Spiritus Sanctus* enim *animam immutans non relinquit partem aliquam non mutatam: sed tam intellectum ad rectè cognoscendum, quam voluntatem ad bene agendum novis viribus instruit.* Non est igitur regeneratus dicens se recte credere, nec tamen bene agens: item, bonarum quidem actionum speciem præ se ferens, veram autem fidem abnegans. Dat quidem Deus interdum etiam impiis gratiam spiritualia quædam cognoscendi: sed tunc ii propterea nondum inter homines in statu regenerationis ambulantes referri debent.

§. 40. Apta etiam terminorum connexio docet, quod *bonum*, *finis*, *justitia*, *sapientia* & *veritas*, etiamsi diversa sunt, ad unum tamen aliquid propemodum tendant. Qui enim cognoscit essentiam rei, hoc est, partes, ex quibus componitur, quæ sunt causæ internæ rem constituentes; ex illisque potest educere affectiones rei, & scit, quæ rei accidant, eam perficiant & per consequens illi *bona* sint & illius *finis*: hic causam novit, quare hoc vel illud alteri competat, eam resolvit in causam ultimam, & sic pervenit ad *veritatem*, est *sapiens*: & si bonitatem debitam sibi aliisque rebus acquirit, est virtute præditus, *justus*, & habet *ultimum* in vita civili *finem*.

nem. Videt ergo quilibet, quid apta terminorum connexio efficere valeat, quodque adeo absonum non sit, tractationem de ea susceptam vocare Philosophiam. Si igitur nomen Philosophiæ mihi indulgetur, de Theologia Terminorum haud difficulter conveniemus, cum & *Reinesio* non sit prohibitum *Theologiam Technicam* texere. Qui legit, quantopere *D. Becherus*, qui auctor nuper demum ad manus meas pervenit, inventis suis sese efferat, me tam pauca de usu hujus methodi afferentem non mirabitur.

§. 41. A bonis intellectus hic factum initium, quod *intellectus* semet contemplans, si necessariò se existere convictus sit, etiam aliarum rerum existentiam & per consequens essentiam concedere cogatur. Quicquid enim existit, certam essentiam habere debet. Huc & cujusdam Philosophi principium referendum: cogito, ergo sum. ex quo deinde multa alia concludi possunt. v. g. cogito de iis, quæ in sensus meos incurrunt: hæc autem non sunt à semet ipsis. E. datur Deus. In creaturis est aliqua perfectio. Deus est auctor creaturarum omnisque perfectionis. Ergo etiam omnis in eo erit perfectio. Potentia in creaturis imperfectionem arguit. E. eadem non est in Deo. Materia est mater corruptionis: corrumpi autem est imperfectio. E. & corruptio & materia à Deo aliena. Homo eorum, quæ confecit, curam gerit. E. magis Deus, qui est summè bonus. Quæ homo con-

fecit, ipsi subsunt obedientiamque præstant. E. nos magis Deo. Sic ex iis, quæ sensu percipiuntur, adscendo ad Deum invisibilem cognoscendum ejusque perfectiones considerandas. Post intellectus considerationem ordine ponuntur ea, *in quibus scrutandis intellectus maximè occupatur*, ut sunt, quæ *de Deo* ex natura cognosci possunt & *corpora naturalia*. Ultimo loco *bona voluntatis* descripta sunt, simulque explicatum, quomodo obtineantur & impediantur. De *bono* quidem agit & Metaphysica & Ethica, sub diversis tamen conceptibus: Nam Metaphysica naturam sive essentiam & differentiam bonorum explicat: Ethica autem, quomodo bonum civile unicuique applicetur.

§. 42. Videat autem Lector, ne hos non alios, hoc non alio ordine, exhibens titulos opusculum, contemnat, priusquam consideraverit, quo labore & quibus mediis ad hanc Methodum pervenerim. Omnes certè Tituli Theologici ex præstantissimis Auctoribus desumti sunt, cum quibus litigare ipsi forte fuerit religio: aliqui tamen ex Germanica in Latinam lingvam translati, in quibus vertendis si fuerim infelicior, condonandum id mihi erit, præsertim cum per hoc rei propositæ nihil decedat. Nonnulli etiam tituli, quod non diffitendum, propter aptam connexionem vi coacti sunt, ut conveniente in loco compararent. Si queratur quis, insufficientem titulorum factam esse enumerationem, addat,

Digitized by Google

addat, quos deesse existimaverit, modo ordo sibi constet: qui tamen pro cujuslibet etiam ingenio facile mutabitur. Usurus itaque hac Methodo librum sibi vel consuat vel compingendum curet quacunque crassitie, eique inscribat Titulos primos in unaquaque Thesi titulorum occurrentes, spatiumque post unumquemque titulum primum relinquat pro titulis eadem thesi contentis, ut & ii tempore subsequente addantur, si postea inter legendum occurrat quid sub iis notandum. Agglutinari poterunt in margine libri Excerptorum paginis, ubi novus incipit Titulus, schedulæ extra librum, ordine deorsum tendente, conspicuæ, quibus primus Thesium titulus inscribatur, ut sic inquirenti series materiarum & titulorum statim in sensus incurrat: potest quoque singulis nostris Thesibus titulorum, quæ semper ad manus habendæ sunt, adscribi, qua pagina primus Theseos titulus in Excerptis occurrat. Tituli etiam inventu difficiles in alphabeticum ordinem redigi queunt, adscripto numero Theseos, quæ titulum continet, ut sic memoria habeat aliquod subsidium. Qui autem aliquamdiu in hoc labore versatus erit, his adjumentis non indigebit.

§. 43. Potest etiam quis pro lubitu titulos omittere, quos sibi usui non fore existimaverit, qua ratione & chartæ parcet. Imo si excerpta ita sint comparata, ut quotidie ipsis inseri queat charta pura: incipiat à pauciſſimis titulis, donec

usum

usum hujus methodi penitus animadverterit. Ita & Theologo non dissvaserim, ut terminos Theologicos solùm capiat, & ad eos excerpta sua referat: cum ibidem etiam plerique tituli in foro ejus usum habentes occurrant. Consultius vero fuerit utramque seriem sequi. Phrases juxta hanc Methodum excerpturo necessariò numerus paginarum cuilibet titulo primo a nobis adscriptarum mutandus est. Quibus enim thesibus nos, realibus intenti, paucas tribuimus paginas, iis ille interdum longe plures, & vice versa, destinare debet. Cura autem mihi maxima fuit *in titulis rectè ordinandis*: de eo vero, quomodo iisdem aliquid subjiciatur, parum fui solicitus, quia & alii jam tum utiliter hac de re monuerunt. In Excerptis realibus rectè mihi facere videntur, *qui integras propositiones titulis subscribunt*, easque similibus, apophthegmatibus, testimoniis & exemplis illustrant. Locuturi enim de re, terminos quosdam cum ea connectimus, unde oritur propositio argumentis probantibus & illustrantibus deinceps exornanda, quâ in operâ nos Excerpta adjuvant. Inter propositiones autem *ordinem quendam servari posse*, ut non quælibet quocunque loco ponatur, nemo negaverit. Plerique commendant ordinem secundum Locos Topicos, qui talis: *hujus rei causa hæc est, hujus rei adjunctum, effectus, contrarium hoc est*: & sic Causæ primum relicti spatii locum, adjuncta secundum, effectus tertium obtinebunt.

nebunt. Qui ſic per tempus excerpſerit, inter multiplices rei allatas *cauſas veras* obſervabit: notabit inſuper *varia rei adjuncta*, *varios effectus*; & quando aliquid ex excerptis ſuis deſumendum eſt, inter illa adjuncta & effectus proponendos, quisnam ordo commodiſſimus ſit, inveſtigabit.

§. 44. Conſtat, *unam materiam variis in locis variè conſiderari poſſe.* ex. gr. ſi habeam titulum: VIRTUS, apparet, aliam eſſe virtutem Regis ſive Ducis in bello, aliam Conſulis in curia, aliam Doctoris in Academia. Non immerito ergo quis quæreret, quo, quæ de virtute Regis, Conſulis, Doctoris dicuntur, referenda ſint? Conſultiſſimum autem mihi videtur, ut, quæ de virtute Regis, Conſulis, Doctoris excerpenda ſunt, ſub titulis: Rex, Conſul, Doctor ſcribantur, tituloque: VIRTUS ſubſcribatur quaſi ſubtitulus: ſubjecta virtutis; & addatur: de virtute Regis, Conſulis, Doctoris videantur tituli: Rex, Conſul, Doctor. Certum etiam eſt, *ex una hiſtoria*, *fabula*, *apophthegmate*, *emblemate* &c. *varia poſſe educi porismata*, *concluſiones ſive propoſitiones*, cum rerum comparationes infinitæ ſint. Iam quærat quis, ſi inter legendum occurrat quædam hiſtoria, apophthegma, fabula elegans, an ex ea omnia porismata, quæ quocunque modo indaganti ſeſe oſtendunt, ſint educenda, quibus tunc ſub diverſis titulis hiſtoria, apophthegma, fabula ſubſcribatur: an excerpens

cerpens satis officio suo functus sit, si uni tantum porismati eam substernat? Ego vero respondeo, ingenio legentis relinqui, quot ex una historia vel apophthegmate porismata velit educere. Utile sane, ut historia, apophthegma, emblema iis subscribatur porismatibus, ad quæ probanda in primis facit.

§. 45. *Lecta* igitur *historia aliqua cogito, quodnam illa porisma valde illustret*, eidemque illam, si vacat, subjicio. Longius immorari volens historiæ alicui, *plura extraho, iisque eam subscribo.* Sed non opus est, ut una res omnibus propositionibus subscribatur, ad quas probandas eam adhibere licet: sed sufficit, si potioribus. Res enim, quæ legentem valde affecerunt, per se inhærent memoriæ, & non raro, quando aliquid elaborandum est, sese ipsas in tempore nobis offerunt, etiamsi ab initio eas ad præsens negotium probandum non destinaverimus. Usus hîc excerptorum probè considerandus. Ea enim non fiunt, ut omnia, quæ legimus, iis inscribantur: sed ut, quando de re aliqua dicendum est; proprium autem ingenium exigua fere nobis suppeditat, habeamus, quo confugiatur. Quorundam videlicet ea est doctrinæ ubertas, ea ingenii fertilitas, ut ad thesin aptè pertractandam non materiam sed tempus desiderent. His tamen ideo opus est excerptis, ut sciant, *quid alii de re proposita dixerint, qui ordo adhibendus & quomodo selectus dicendorum observandus sit.* Præterea

terea nonnunquam sufficit enotasse, ad quidnam demonstrandum auctor lectus rem notandam retulerit. Quicquid tamen exactiori cura dignamur, in margine libri lecti signo aliquo notare; vel etiam nostro adversariorum libro tantisper inserere possumus, donec illud tempore sese offerente diligentius excutiamus.

§. 46. Postquam B. Morhofius libro Primo Polyhistoris sui c. XXV. pag. 315. dixerat, quod apud Boissardum in Iconibus virorum illustrium part. 3. p. 88. referatur, premi in Bibliotheca B. Hartvici Smidenstedt, quondam Eloquentiæ in Academia Iulia Professoris, opus absolutissimum, in quo *totam Cyclopadiam in Locos Communes* digesserit, omniumque, scientiarum rerumque Capita & tractationem ita dispoſuerit, ut futuro oratori sive cuicunque ex tempore etiam dicturo, veluti locupletissima Eloquentiæ Bibliotheca, quovis loco & tempore in promtu, atque in infinitum expedita esse queat; addit ipse Morhofius hoc suum judicium: *male profecto agunt, qui publico usui talia scripta invident. Nam in Eloquentiæ apparatu vehementer laboramus, neque hactenus fuit, qui Locos Communes idoneos in lucem dederit. Quod si hujus operis supereſt hodie memoria, id agere deberent viri eruditi, ut ab interitu hoc scriptum vindicaretur & in publicum usum protraheretur.* Hactenus Morhofius. Tales autem Locos Communes juxta ejusmodi methodum, qualem hic proposui-

Digitized by Google

posuimus, commodè parari nostra est sententia. Insuper & hoc notandum, Virum litteratissimum *post editos Zwingeri, Magiri, Langii aliorumque libros* aliud tamen adhuc desiderasse Locorum Communium volumen, forte accuratiore cura atque ordine congestum.

§. 47. Ad *Phrases* excerpendas si otium mihi supereſſet, sumerem vel *libros Æneidos Virgilii* vel *Sallustii Bellum Iugurthinum & Catilinarium*, vel quemvis alium auctorem, vocabulaque & phrases ibi contentas juxta hosce titulos excerperem, ex quo magnum lumen huic negotio accederet. Haberet hic labor longe majorem utilitatem quam reliqui indices, qui adhuc in auctores parati sunt. Optabile esset, ut omnes indicem scripturi huc oculos converterent, viaque hîc monstrata incederent. Dici non potest, quantum hoc institutum imitationem juxta certum quendam auctorem instituendam adjuvaret. Ante oculos enim haberet imitaturus omnes locutiones & phrases, quibus auctor propositus rem expressit, easdemque levi opera in usum suum converteret, ut *dictio tota* vel *Sallustiana* vel *Vellejana* vel *Nepotiana* dici mereretur. Recuperaret hac ratione Romanus sermo suam integritatem & puritatem. Inprimis placet Sallustius, qui opera sua summa adhibita elegantia confecit. Qui bella superioribus seculis gesta secundum methodum ejus historiam narrandi

randi exponenda ſibi ſumeret, operæ pretium utique feciſſe putandus eſſet.

§. 48. Poſſem etiam juxta hanc methodum excerpere *Epiſtolas Paulinas*, *Pſalmos Davidis* vel *librum Iobi* ſub titulis Theologia Paulina, Davidica vel Iobica. Qui operam impendere, & contenta in *Adami deliciis biblicis*, vel in *Erasmi Franciſci* alias *Fixii* dicti, aut *Ernſtii* variis ſcriptis comprehenſa, huic methodo accommodare vellet, utilem homiletis navaret operam. Et cum certum ſit, *Rabbinos* quoque inter ſuas fabulas multa habere a vera ſapientia non abhorrentia, inutile quoque non eſſet, ut quis eos excerpendos aggrederetur. Quivis ſcriptores alii materiam exhiberent excerpendo convenientiſſimam: præcipue *Patres Eccleſiæ*, *hiſtorici* omnium Lingvarum, Scriptores *Arabes*, quorum numerus ingens admodum, etiamſi paucos adhuc habeamus typis impreſſos: item *Seneca*, *Tacitus* & alii. Vaſta quoque extant Philoſophiam illuſtrantia commentaria, in quorum veritatem juxta has theſes eſſet inquirendum. Iuxta hæc etiam ſumma Theologiæ capita, omnis *Myſticorum Theologia* examinanda foret. Catalogum ingentis alicujus Bibliothecæ editurus Methodum noſtram commode ſequeretur, ut ſecundam eam colligeret ſub ſuis titulis Auctores, qui de quacunque re aliquid litteris mandarunt.

§. 49. Facient autem Excerpta noſtra ad Polymathiam, qua maximè homini, docti nomen

ſibi vendicanti, opus eſt. Theologis tituli noſtri hoc præſtabunt, ut in promptu ſit inexhauſta thematum multitudo, quibus in concionibus utantur. Videbunt ibi varia beneficia divina ordine ſuo recenſita, varia mala, quæ ob peccatum in mundum venerunt, Chriſti liberationem ex malis, officia veri Chriſtiani, præſtantiam ſtatus, qui regenerationem ſequitur, & denique ex calamitatibus ſupervenientibus reportandam victoriam. Si titulos hoſce vario eruditionis penu inſtruxerint, experientur, laborem concionum habendarum multo leviorem ſibi futurum. Cum autem hæc methodus diſpoſita ſit juxta varia bona, juris naturæ ſcriptores uſum non vulgarem ex ea percipient. Eorum principia huc fere redeunt, quod *Deus omnia bona crearit, & velit etiam, unicuique rei ſuam bonitatem & perfectionem competere: conceſſerit etiam media, per quæ ad eam pertingant.* Quod igitur eam adjuvat atque conſervat, bonum eſt & agendum: quod eam impedit, malum & fugiendum. Quænam autem intellectui, voluntati, corpori noſtro, imo toti homini bona ſint, hiſce theſibus abunde explicatur. Bonis his, ſapientiæ nimirum mundanæ, divitiis, honoribus, voluptatibus, ſanitati, paci temporali qui nimium inhiat, eaque magis quam Deum amat, graviter peccat. Hæ ſunt cupiditates illæ pravæ, quæ apud Iohannem I. Epiſt. II, 16. dicuntur *cupiditas carnis, libido oculorum & faſtus vitæ*, quæ

non

non ſunt ex Deo ſed ex mundo. Mens autem humana peccato infecta, quando ſibi relinquitur, ſemper ampliſſimas divitias, honores & voluptates, firmam ſanitatem & pacem perpetuam appetet: & iis oppoſita, paupertatem, contemtum, famem & ſitim, morbos & bella, ob peccatum à Deo immiſſa, omni ratione averſabitur & fugiet. Homo autem regeneratus cum iis, quæ Deus ſibi dederit, bonis contentus erit, nec majora appetet, quam Deo placitum eſt ipſi concedere, malaque immiſſa patienti animo tolerabit. Et hæc eſt vera *abnegatio ſui ipſius*, qua quis renunciat cupiditatibus, ad quas per corruptionem ſuam pronus eſt. Qui autem has cupiditates ſupprimere laborat, in eo *lucta carnis & ſpiritus* ſe exſerit.

§. 50. Omnes tandem, quibus aliqua ſaltem ratione ſtudia delibare volupe eſt, aliquod ex hiſce theſibus capient commodum. Pro *indice* iis utantur, qui alii excerpendi methodo aſſveverunt. Hîc enim conjunctum invenient, quod alibi diſperſum habent. Pueris juxta easdem *primæ radices & vocabula* imprimi poſſent, quo hoc pacto ſimul ad rerum cognitionem manuducerentur. *Crebro* autem tituli hi *erunt relegendi*, ut eo firmius memoriæ inhæreant: quod & facile, quia paucis theſibus continentur, & jucundum, quia omnium fere rerum cognitionem in apta connexione oculis ſubjiciunt. Uſus, optimus magiſter, plura docebit: quem negli-

Digitized by Google

gens similis mihi videtur artis homileticæ studioso, qui multos libros de arte ista conscriptos perlegit, nunquam autem concioni componendæ ipse manum admovet. Quamdiu is ab opere ipso abstinet, in arte concionatoria parum proficiet. Multa alia utiliter hic moneri possent: sed quia patientiam lectoris jam satis diu detinui, hic pedem figo. Communicare tecum, O Lector Benevole, volui, quæ mihi improbus labor divina adjuvante clementia peperit. Condonabis, quæ peccavi: gaudebis, si quæ bona deprehenderis: non culpabis studium meum publicis commodis invigilans. Favor tuus ad majora audenda mihi erit incitamento. Quæ hîc mutanda putaveris, judicio tuo cognito in posterum emendabuntur. Lites mihi acerbas non movebis, cum hæc non litigandi sed proficiendi studio susceperim. Amplissimum laboribus meis præmium datum putabo, si aliquos saltem videro iis cum commodo studiorum suorum utentes. Deus det omnibus, qui sese veritatis inquisitioni addixerunt, Spiritus sui gratiam, ut ad metam propositam semper propius accedant, donec scopum suum ultimum tandem in vita secutura felicissimè consequantur.

§. 51. Succedat hisce INTRODUCTIO IN ARTEM METHODICE EXCERPENDI, priori editioni præmissa, sive, *Ars Methodicè, juxta Titulos in hoc tractatu traditos, excerpendi, breviter descripta.*

Com-

Commendant plerumque eloquentiam in ſcholis docentes excerpendi ſtudium, auditoresque ſuos ad illud ſedulo adhortantur. Varii autem hucusque inventi ſunt auctores, varias præſcribentes Methodos, quibus excerpturis commode uti liceat. Inter illos facile excellit Vincentius Placcius in libro de arte excerpendi, quo genera & præcepta excerpendi ab aliis huc usque tradita omnia, novis acceſſionibus aucta, ordinatâ Methodo exhibentur. Quando is formam internam ſive ordinem excerpendi cap. 2. ſect. I. p. 57. conſiderat, inquit: forma interna ſive ordo excerpendi vel eſt communis vel proprius. Communis eſt vel neglectior ſive adverſarius, unde *Adverſaria Excerpta*, vel accuratior, isque vel Alphabeticus, unde *Alphabetica Excerpta* vel Methodicus, unde *Methodica Excerpta*. Proprius ordo, qui & alienus dici poſſet, quando commentando ad aliena ſcripta excerpimus, producet *Excerpta Commentaria*. Hæ ſunt juxta Placcium præcipuæ excerpendi Methodi.

§. 52. Plerique excerpentes utuntur Excerptis Adverſariis, pauciores Alphabeticis & Commentariis, pauciſſimi Methodicis. Hæc enim Methodica Excerpta rectè parare omnium eſt difficillimum; ſiquidem vel ſequi Methodum ab alio præſcriptam debemus, vel ipſi propriam invenire, quam ſequamur. Neque tamen eorum tantus eſt numerus, qui rationem Metho-

dice excerpendi nobis præſcripſerint; & ſi qui reperiuntur, methodi tamen ab ipſis commendatæ vel admodum ſunt imperfectæ vel multis laborant difficultatibus, pauciſſimosque habent ſectatores. Neceſſe propterea eſt, ut quidam his difficultatibus mederi ſtudeant; & hanc ob cauſam ipſe etiam auſus ſum rationem quandam methodicè excerpendi comminiſci, quam cum iis, qui ſe hac in re juvari cupiunt, jam communico.

§. 53. Ut vero conſtet, quisnam hujus tractatûs ſcopus ſit, ex multis, quæ de eo dici poſſent, pauca ſaltem delibabo, ne ſtudium Benevoli Lectoris fatigem. Siſtitur itaque hic ratio excerpendi Methodica eum in finem excogitata, ut, quæ quis excerpere cupiat, ſub titulis in certas theſes hic redactis poſſit notare. In ordinatione titulorum multum momenti ſitum eſſe indicat Clariſſ. Tentzelius de titulis excerptorum edendis Placcium monens in den Monathlichen Unterredungen anni 1689. menſe Junio pag. 630. ubi ſic inquit: Der Excerpir-Schranck des Herrn Placcii dürffte der Jugend nicht undienlich ſeyn, wenn nur die Titul erſt in Ordnung gebracht wären, welches ich von dem Herrn Placcio noch deſiderire. Denn an deren geſchickten Diſpoſition iſt alles gelegen, und würde er mich und andere, die ſeine Invention gebrauchen wolten, ſehr obligiren, wenn er dieſelbe je eher je beſſer auch an des Tages Licht ſtellete. Præterea celeberrimus Joh.

Joh. Hoornbeck in prolegomenis parti priori Theologiæ Practicæ præmiſſis, editionis anni 1698. quæ Francofurti & Lipſiæ proſtat, pag. 19. hæc habet verba: ſuper hoc à variis diu fuimus rogati, ſaltem uti titulos daremus Practicæ (Theologiæ) ad quos, quæcunque in iſto genere uſu veniunt, vel inter legendum obſervant, aut meditando vel diſcendo aſſequuntur, poſſent referre. Videt hoc pacto Benevolus Lector, & alios homines induſtrios de titulis excerptorum, eorumqve ordine fuiſſe ſollicitos. Sic etiam labor meus præcipue in eo conſiſtit, ut naturalem quandam rationem atque ordinem adinvenerim, juxta quem titulos fere omnes ad excerpta inprimis oratoria conficienda neceſſarios connexui.

§. 54. Quicunque jam voluerit juxta hanc Methodum excerpta conficere, ſolicitus primo eſſe debet, ut titulos hîc in theſibus non adeo multis propoſitos memoriæ mandet; ut ſciat, qua theſi quisque titulus contineatur. ex. gr. Si quid excerpendum ſit ſub titulis: NOMEN, CURIOSITAS, RISUS, ERUDITIO, SAPIENTIA &c. ſcire excerpentem oportet, quæ theſis ejusmodi titulos complectatur. Hæc eſt quaſi PRIMA REGULA in hac Methodo obſervanda. Non adeo difficile autem erit locum uniuscujusque tituli memoriæ infigere, ſi quis modo connexionem titulorum horum recte perpenderit. Sub titulis Philoſophicis continen-

tur res, quæ alias in Philoſophia tractari ſolent: tituli Theologici ob oculos ponunt res ad Theologiam pertinentes.

§. 55. Philoſophici tituli diviſi ſunt juxta facultates animæ rationalis, quæ facultates ſunt *intellectus & voluntas:* ſecundum quas nonnulli etiam Philoſophiam ipſam diſpertire amant, dicentes: *Philoſophiæ eſſe, perficere intellectum & voluntatem:* intellectum autem perficere diſciplinas Theoreticas, Metaphyſicam & Phyſicam; voluntatem diſciplinas Practicas, Ethicam & Politicam. Operationes intellectus præcipuæ exhibentur in titulis Philoſophicis à theſi 1. uſque ad §. 11. Cum autem juxta §. 3. intellectus operatio etiam ſit contemplatio, placuit hiſce theſibus à §. 12. ad 60. ſubjicere titulos exhibentes eas res, *quæ contemplationis humanæ objecta ſunt* & alias ad diſciplinas theoreticas pertinent. Sic tituli ad Metaphyſicam ſpectantes ſiſtuntur §. 12. de qua diſciplinâ mentem meam ſatis explicavi in *Metaphyſica Germanica*, quæ proximè, Deo volente, lucem videbit.

§. 56. In *rerum Phyſicarum* campum nos deducunt tituli à §. 13. ad §. 60. poſiti. Cum autem res Phyſicæ omnes ſint compoſitæ, de variis componendi modis agendum fuit §. 14. Quid compoſitio efficiat, explicatur §. 15, 16, 17. quomodo res formam, quam per compoſitionem conſecuta eſt, amittat, apparet ex §. 18. ſeq. Incipio

cipio §. 21. enarrare corpora naturalia, & quidem ago ibi de complexu omnium corporum nempe mundo & de corporibus cœleſtibus: §. 22. ſeq. de elementis, §. 29. de metallis & ſic porro de reliquis ſpeciebus corporum naturalium, §. 41. ſeq. deſcribuntur partes animalium. Porro agitur de quibusdam, quæ accidunt corpori v. gr. de loco §. 54. de motu e loco in locum §. 55. de ſitu §. 56. de tempore §. 58.

§. 57. Explicatis hac ratione rebus ad contemplationem humanam pertinentibus converto me ad ſecundam mentis noſtræ facultatem, quæ eſt voluntas. Cum autem velimus, quæ bona ſunt, bonumque aliquod ſtudeamus Actionibus acquirere, agendum fuit §. 61. de bono in genere ejusque diviſionibus, §. 62, 63. de appetitu, quo in bonum vehimur, §. 64. de actione ipſa, ad quam per appetitum ſive affectus excitamur, §. 68. de virtute actionum moderatrice, §. 71. ſeq. de iis, quæ actiones adjuvent & ad eas impellant, §. 76. 77. de conſequentibus actionis.

§. 58. Actiones inſtituimus, ut bona quædam acquiramus. Bona terreſtria præcipua ſunt Divitiæ, Honores & Voluptates, quæ bona, qui recte appetit & recte adminiſtrat, virtutis ſtudioſus eſſe cenſendus eſt. Quomodo jam quis ea debeat appetere & recte adminiſtrare ſive recte ſe erga ea gerere, docuimus *in tractatu de Imagine Dei, Peccato & Regeneratione*, qui, divi-

no Numine annuente, ſub Titulo *Theologiæ Practicæ* brevi prodibit. Promiſit aliquando Summè Rever. Theologus Valentin. Erneſt. Loeſcherus Superintendens Dresdenſis, ſe editurum librum, in quo ordine debito explicaretur, quomodo Scriptura S. quascunque res Theologicas eloqueretur; ut ita veritas divina ipſius Spiritus Sancti verbis, diverſis in locis diverſimode prolata, ſed tamen ſibi ipſi egregiè ubique conſona, proponeretur. Eundem ſcopum habui in hacce Theologia practica; quæ inter alia, Principia Juris Naturæ nova ratione paucis verbis oculis objicit, & inprimis doctrinam de Regeneratione, Illuminatione, Abnegatione propria & Virtutibus Chriſtianis perſpicuè exponit. Divitiarum mentionem injicit §. 78. Modi acquirendi divitias enarrantur §. 79. inter quos diteſcendi modos notanda commercia, de quibus ut & de emptione & venditione §. 80. ago. Quid Matheſis conferat ad commercia, item itinera, judicare licet ex §. 82. ſeq. De virtutibus in commerciis obſervandis agitur §. 87. 88. de opificiis & laboribus divitiarum cauſa inſtitutis §. 89. ſq. Quomodo opes cuſtodiantur, communicentur, amittantur, perpendendum propono §. 99. ſeq.

§. 59. Secundum bonum juxta Hypotheſes ſupra poſitas eſt Honor, qui exiſtit ob bonum quod dam, quod homines in nobis animadvertunt, ut docetur §. 102. Ob bonum illud homines nos amant

amant & libenter nobiſcum converſantur ceu docet §. 103. In converſantibus requiruntur juxta §. 104. ſeq. Virtutum homileticarum ſtudium, boni mores, rectus uſus ſermonis concordia. Bonum præterea, quod animadvertunt in nobis homines, excitat eos, ut ſocietatem nobiſcum colant, aliquando etiam imperium deferant, ut ſignificatur §. 111. Quoniam vero Honor maxime conſpicuus exiſtit in imperiis, isque etiam in reliquis ſocietatibus ſuperiori exhibendus eſt: hinc §. 113. ſeq. diſſeritur de ſocietatibus majoribus & modis remp. adminiſtrandi, deque aliis rebus politicis, §. 121. de conjugio, in qvo marito uxor honorem exhibere debet, §. 124. de ſocietate paterna, §. 127. de familia, §. 128. de ſocietete amicorum. Quid honorem ſequatur, occurrit §. 130. virtutes circa honores occupatas exhibet §. 131. de privatione honoris agit §. 132.

§. 60. Tertium bonum terreſtre ſunt voluptates, de quibus §. 133. Cauſas ad voluptatum perceptionem nos excitantes, reperimus §. 134. De cibo & potu tanquam inſtrumentis Voluptatum agimus §. 135. ſeq. de virtutibus circa voluptates verſantibus §. 139. Siſtuntur porro res aliæ voluptatem quandam homini creantes, ut ſpectacula, muſica §. 140. exercitia corporis §. 141. ludi §. 142. mundities §. 143. veſtitus §. 144. domus 145. ſeq.

§. 61. Voluntas denique non tantum ſollicita

eſt,

eſt, ut in poſſeſſionem bonorum perveniat, ſed mala quoque à ſe depellere ſtudet. Quid igitur malum ſit, explicandum fuit §. 149. De malis fortunæ agit §. 150, 151. de malis corpori noſtro accidentibus ſive de morbis §. 152. ſeq. de malo reliquis noſtris bonis inimico, bello ſcilicet, & iis, quæ in bello accidere ſolent §. 155. ſeq. Affectus hominum circa mala exhibentur §. 160. virtutes circa ea §. 161. De liberatione ſolliciti quid agant, indigitatur §. 162. Transgredior deinde ad mala culpæ enarranda §. 163. Affectus bonorum circa ea perpendo §. 164. Theſes ſequentes agunt de accuſatione, pœnis, condonatione.

§. 62. Quemadmodum hactenus ordinem in titulis Philoſophicis à nobis obſervatum breviter indicavi, ita etiam pauciſſimis verbis oſtendam, quo ordine titulos Theologicos diſpoſuerim. Incepi primum agere de Deo & Trinitate §. 1. deinde de Beatitudine & Bonitate Dei ejusque operationibus §. 2. de creatione aliisque operibus, quorum omnes creaturæ, in primis autem homines participes fiunt §. 3. ſeq. de ſtatu integritatis §. 11. de lapſu Adami, & iis, quæ peccatum ſecuta ſunt §. 12. ſeq. de morte & noviſſimis hominis §. 22. ſeq. de damnatione reproborum §. 26. de gratiâ peccatoribus exhibitâ §. 27. de prædeſtinatione ad vitam æternam §. 28. ſeq. de vocatione ad beatitudinem §. 31. de verbo, per quod vocatio fit, ejusque tractatione §. 32. ſq.

de

Digitized by Google

Tabula A. exhibens



Digitized by Google

de infidelibus à quibus per ſuſceptionem verbi ſeparamur §. 39. de Sacramentis §. 40. ſeq. de Eccleſiâ, in qua Verbum & Sacramenta proponuntur, & iis, quæ ad eccleſiam pertinent §. 42. ſ. de Chriſto, quem Deus noſtri cauſa in mundum miſit §. 54. ſeq. de Converſione hominis §. 60. de fide §. 63. de poteſtate clavium §. 64. de Renovatione & Bonis operibus §. 65. ſeq. de ſtatu feliciſſimo Regeneratorum §. 90. ſeqq. de cruce & afflictionibus §. 96. ſeq. de patientiâ in afflictionibus obſervandâ §. 101. de ſolatiis in adverſis §. 102. 103. Rogarunt me nonnulli, ut Methodum, ſecundum quam diſpoſiti ſunt Tituli noſtri, in Tabula exhiberem; quorum deſiderio ſatisfacturus, ſiſto Tabulâ A. Titulos Philoſophicos, & Tabulâ B. Theologicos præcipuos.

§. 63. Repetere hoc pacto voluì integram ſeriem titulorum noſtrorum, ut Benevolus Lector videret, quomodo cohæreant, & quam exiguo labore quis locum titulorum præcipuorum, quem in theſibus habent, menti ſuæ infigere queat. Eo facilius autem illius recordabitur, quo ſæpius noſtras titulorum theſes perlegerit; quod non ſine jucunditate faciet, quoniam breviſſimæ hæ theſes viam ad omnium rerum cognitionem ipſi pandunt. Si tamen omnino quis memoriæ diffidat, poterit ſibi parare indicem Alphabeticum, in quem titulos noſtros referat, annotareque ad ſingulos titulos theſin, qua titulus evol-

evolvendus contineatur. Postquam demum quis aliquamdiu hanc artem exercuerit, eum sibi habitum in evolvendis titulis acquiret, ut inposterum nullâ indicis ope indigeat. Cui placuerit theses nostras accurate secum perpendere, si aliquam saltem notitiam disciplinarum, prout vulgo proponuntur, habuerit: procul dubio intelliget, quidnam hoc in tractatu sit præstitum. Etenim non solum hic conspiciet titulos, qui in vulgaribus compendiis Philosophicis & Theologicis traduntur, sed & quam plurimos alios suis locis insertos, de quibus apud scientiarum epitomatores altum est silentium.

§. 64. Tituli Theologici desumti sunt maximam partem ex Joh. Arndio aliisque libris moralibus sive practicis: quoniam artis homileticæ studiosi ejusmodi libris legendis studium impendere solent ac debent. Ut igitur scirent, quo singula, quæ legerunt, referre deberent, titulos ex iis desumtos in ordinem quendam redegi. Reprehensionem, ut existimo, non merebitur, quod nonnunquam ob connexionem Adjectiva cum Substantivis, Abstracta cum Concretis, Nomina cum Verbis, casus Rectos Cum Obliquis, & modos, tempora ac personas verborum inter se in thesibus titulorum commutarim, facileque ipse Benevolus Lector cernet, quomodo tituli separatim sumti commodissime sint efferendi. Multa fortasse possent mutari in titulis Philosophicis, in primis autem in Theologi-

Digitized by Google

logicis: at vero, qui ordini hic tradito primum adſveverit, haud facile mutationem deſiderabit. Vellem, ut viri docti examine quodam dignarentur rem hic propoſitam, & quæ emendanda putarent, libere monerent, ut res hæc indies perfectior evaderet. Aliqua quidem difficultas excerpturis juxta hanc Methodum ſeſe objiciet; quæ tamen, ſi ſemel ſuperata fuerit, ſubſequens inde utilitas atque jucunditas omnem laboris moleſtiam abſterget atque ex memoria delebit.

§. 65. Clariſſimus Placcius libro ſupra citato p. 111. inquit: conſpectus titulorum ſeparatim habendus eſt ordinatus, ut uno intuitu conſuli repetique, prout lubet, poſſit. Talem conſpectum titulorum exhibent theſes noſtræ; quarum tam exiguus eſt numerus, ut facili negotio legantur atque repetantur. Neque vero omnes tituli ſive omnia rerum vocabula hic exhibentur; id enim infinitum foret, & artem noſtram valde obſcuraret. Proponit tamen connexio hæc noſtra titulorum Locos quaſi quosdam, ſub quibus omnes res & ſic etiam omnes tituli poſſint collocari. Præterea voces in illa connexione poſitæ de ſynonymis ipſarum nos admonebunt. Nullus hoc pacto titulus reperietur, inter eos, qui à nobis propoſiti ſunt, locum non inveniens. Eum vero locum indicabit ordo rerum & connexio hic à nobis obſervata: poteritque is titulus omiſſus, quando occurrit,

Digitized by Google

currit, loco conveniente tam theſibus noſtris quam excerptorum libro inſeri. Qui jam titulis hiſce variarum rerum farraginem ſubjecerit ſive quam plurima excerpſerit, non ſolum Polymathiam quandam acquiret, ſed etiam de Augmentis ſcientiarum parandis feliciſſime cogitabit: inprimis aptus erit adapte atque erudite differendum de quavis occurrente materia. Sed hæc ſufficiant de regulâ primâ, quæ docet, excerpturos noviſſe debere locum titulorum, ſive qua theſi titulus propoſitus contineatur.

§. 66. SECUNDA REGULA ſit hæc: Cuique theſi titulorum certum aſſignandum eſt in excerptorum libro ſpatium. Qui Excerptis ſchedaceis uti cupit, quæ commendat Placcius p. 68. ſeq. item qui Methodum noſtram Scrinio Litterato, de quo idem Placcius fuſe admodum pag. 121. ſeq. agit, applicare voluerit, quod certe haud difficile erit, ei regula jam adducta nihil eſt opus. Tunc enim tot ſchedæ ſumendæ ſunt, quot res excerpendæ occurrent: vel excerpta nullo obſervato ordine ita in charta cujus averſa pagina munda, ſcribenda, ut poſt unumquodque excerptum ſub titulo conveniente, ſpatium exiguum relinquatur, quo charta tempore opportuno diſcindi, excerptaque in loculos ſuos digeri poſſint. Quibus autem libro Bibliopegi opera compacto aut proprio labore conſuto uti placuerit, illi hujus regulæ omnino debent eſſe memores. Et hac in re conſiſtit præcipua hujus

Metho-

Digitized by Google

Methodi commoditas. Quilibet autem me non monente intelligit, ſpatium illud pro ratione materiæ theſi contentæ vel ampliandum eſſe vel minuendum. Theſi amplam continenti materiam multæ paginæ ſunt aſſignandæ: cujus materia autem non tam diffuſa eſt, ad eam pauciores paginæ ſufficient.

§. 67. Ut hoc exſequamur, numerandæ primum erunt omnes paginæ libri excerptis deſtinati, ſingulisque paginis ſuus numerus inſcribendus. Porro numerus paginarum dividendus eſt per numerum theſium, ut videamus, quot paginæ nullo materiarum reſpectu habito cuique theſi tribui poſſint. Tum theſibus minorem materiæ copiam complectentibus quædam paginæ ſunt detrahendæ, quæ addantur theſibus multiplici materia turgidis. In genere hic notetur, amplius ſpatium dicandum eſſe iis titulis, quos quis maxime excerptis augere velit, ex. gr. ſi quis de certâ aliquâ materiâ quædam commentari, aut de ea orationem, diſſertationem vel librum conſcribere velit. Poteſt etiam quis libro excerptorum Methodico adjungere Excerpta Adverſaria, in quibus, quantum libuerit ſpatii, titulis quibusdam ex Methodicis excerptis deſumtis tribuatur. Huic libro adverſario inſcribantur, quæ ſpatium minus in Methodicis excerptis titulis tributum non capit.

§. 68. Quali ratione olim ego uſus ſim in libro excerptorum meorum ſpeciminis loco facto,

Digitized by Google

candidè Benevolo Lectori indicabo ; liberum tamen ei relinquens, qualem rationem ipsi adhibere libuerit. Scilicet in excerptis meis titulis tam Philosophicis quam Theologicis tribuendæ erant paginæ 852. His per numerum Thesium utrarumque (tam Philosophicarum, qui est 169, quam Theologicarum, qui est 103, quique numeri simul sumti faciunt 272.) divisis, unicuique thesi, tam Philosophicæ quam Theologicæ, tres paginæ erunt assignandæ: ita tamen, ut restent paginæ 36, quarum tres inter Theses Theologicas, uberem materiam continentes ; reliquas autem 33. inter Philosophicas distribui. Materiarum autem inæqualitas effecit, ut utrobique quibusdam Thesibus pauciores paginas quam tres dicarim ; numerum autem illis ademtum reliquis ; quas me pluribus excerptis exornaturum esse putavi, addiderim. Prior itaque numerus thesibus nostris titulorum adscriptus & parenthesi inclusus indicat, quot paginas tribuerim thesi, cui adscriptus est: secundus autem numerus indicat paginam, in qua primus theseos titulus scriptus extet. Me non invito potest quis duplo vel triplo majus spatium unicuique thesi tribuere ; vel saltem dimidium ejus, quod ego thesibus dicavi ; vel uni thesi majus, alteri minus spatium, quam à me factum est. Hoc tamen unusquisque methodo hac usurus probe observet, ut singulis thesibus titulorum adscribat paginam, ubi primus theseos titulus in

ex-

Digitized by Google

excerptis ſuis inveniatur. Quando enim aliquid excerpendum occurrit, titulum primò, ſub quo illud notare cupit, in theſibus noſtris evolvere debet. Tunc igitur ſtatim videbit, quâ paginâ titulus in excerptis ſuis vel extet vel collocari debeat; quam deinde evolvat, eique excerpenda ſubjiciat.

§. 69. Neque vero opus eſt, ut ab initio integrum librum huic Methodo in uſum traducendæ deſtinemus, ſed ſufficit paucas tantum ſumere paginas, & experimentum capere, an recte præcepta hujus Methodi imbiberimus. Ego ipſe in excerptis, quæ primæ editioni hujus tractatus addideram, ex vita Timoleontis juxta hanc Methodum parandis undecim fere paginas in forma octava tantum adhibui. Alii aliam vitam ex Cornelio Nepote, vel alium textum ex alio Auctore capiant & tantum quatuor vel octo paginas vel plures etiam excerptis parandis aſſignent, & tunc apparebit, an hanc Methodum in uſum ſuum convertere valeant.

§. 70. Jam ſequitur TERTIA REGULA nos inſtruens, ne omnes titulos in theſibus hiſce titulorum occurrentes paginis ſuis inſcribamus, ſed tantum primum titulum cujusque theſeos primæ paginæ theſi illi aſſignatæ. Et hoc etiam huic Methodo eſt ſingulare. Sic enim non tantum labore ſcribendi caremus, ſed etiam non ſcribentur tituli quidam, quibus fortaſſe ne per integram vitam quidem aliqua ſubjicienda erunt

Digitized by Google

excerpta; quique ſpatium ipſis dicandum aliis titulis cedere poſſunt; inſerenturque hac ratione facilius ii tituli, qui in theſibus noſtris adhuc deſiderantur. Actu in iis non extant omnes tituli; locum tamen ſuum in iis habent, & poſſunt reliquis titulis ſuo loco immiſceri. Utile tunc quoque eſſet theſibus titulorum omiſſum titulum inſerere. Non tamen erunt tituli adeo multi, qui hic deſiderantur.

§. 71. In theſi prima Titulorum Philoſophicorum occurrunt fere tantum tituli tres (1) anima (2) mens & animus (3) ingenium. Reliqua enim verba ad connexionem tantum pertinent, ut quisque facile judicabit. In prima igitur pagina ſcribatur titulus ANIMA: reliqui tituli tamdiu omittantur, donec aliquid occurrat ſub iis excerpendum: Et tunc, quia huic theſi 5. Paginæ aſſignatæ ſunt, titulus MENS & ANIMUS poteſt ſcribi pag. 3. titulus autem INGENIUM p. 4. Paginæ ſextæ inſcribatur titulus primus ſecundæ theſeos: *Intelligere.* Quia præter hunc in hac theſi adhuc alii reperiuntur, nempe agnoſcere, nomen, titulus, imaginari: poſſunt illi, ſi quid ipſis ſubſcribendum ſit, ita collocari, ut titulus: *Agnoſcere*, in dimidia parte paginæ ſextæ ſcribatur; reliqui paginam ſeptimam inter ſe partiantur. Theſeos octavæ primus titulus eſt: *Diſcere*, qui titulus inſcribatur p. 26. Si reliquis titulis eadem theſi contentis ſubji-

ſubjiciendum aliquid ſit, tit. *ſtudia*, occurret p. 27. *lingvæ* p. 28, cui paginæ in fine adjiciatur etiam titulus *Interpretatio.* Titulus: *Grammatica* occupabit p. 29. *Philoſophia* p. 30. *artes* p. 31. Ex his apparebit, quid in reliquis theſibus agendum ſit.

§. 72. QUARTA & ULTIMA REGULA ſit: Non quomodocunque atque ſine ordine titulis aliquid eſt ſubſcribendum, ſed in conſilium vocandi ſunt loci topici, juxta quos ordo inſtituatur. Si *cauſa* rei in loco excerpendo occurrat, vel etiam *ſubjectum* vel *objectum*, in prima parte ſpatii titulo illi aſſignati excerpenda poni queunt. Si in loco excerpendo occurrat rei *adjunctum* ſive *proprium*, res excerpenda ponatur aliquanto inferius. Sin locus excerpendus contineat *conſequens* aliquod ſive *effectum* rei, in inferiore parte ſpatii excerpta ſcribenda erunt. Legens itaque hiſtoriam vel aliud quid, cogitet, de quo quid dicatur, & qua ratione de illo dicatur. Hiſce recte expenſis facile ſciet, ad quem titulum unumquodque referendum, & quo loco ſub quolibet titulo quidque ſcribendum ſit. Poſſet etiam res ita efferri: Educatur ex Hiſtoria, Apophthegmate, Emblemate alioque argute dicto, ſive ex ſententia qualibet concluſio, ſive ut homiletæ dicunt, Poriſma aliquod; quæ concluſio juxta Locos Topicos inferatur excerptis noſtris una cum probatione ex loco illo, quem legimus, deſumta. Si quis ex re lecta plures

Digitized by Google

velit deducere concluſiones, atque ita eam pluribus titulis ſubjicere, hoc illi per me licebit.

§. 73. Nolumus hic adducere exempla, quibus aſſerta noſtra illuſtremus; ſiquidem propterea olim vitam Timoleontis à Nepote eleganter deſcriptam redegimus in excerpta, eaque huic tractatui ſubjecimus; quæ nunc quidem omiſimus, ſubſtituentes eorum in locum varia alia excerpta, ex pluribus quam duodecim auctoribus deſumta, aliquanto, ut credo, jucundiora quam ea, quæ ex Nepote depromſeramus. Nec tamen omnia ex iis auctoribus ita accurate ſunt excerpta, ut non adhuc quædam in illis extent, in excerpendo alias minimè negligenda. Suffecit mihi hoc tempore ſpecimen ſaltem Excerptorum juxta hanc methodum inſtitutorum dediſſe. Pleraque tamen notatu digniora in excerpta relata ſunt. Videt igitur quisque, de quibus rebus aliquid in his auctoribus; de quibus rebus etiam nihil excerpendum in iis occurrat. Et hoc etiam huic Methodo ſingulare eſt, ut per eam videre poſſimus, de quibus rebus inveniatur aliquid apud auctorem; ſimul quoque de quibus rebus nihil apud eum extet. Hæc etiam excerpta, licet ſint pauciſſima, anſam tamen aliquam de quibusdam rebus differendi ſuppeditabunt. Quid fiet autem, ſi quis ſimili ratione magnum volumen Excerptorum ex ejusmodi auctoribus collegerit? Præterea edidi Hannoveræ anno 1708. ſumtibus Ludolphi Henrici Hauenſteinii verſus Rhythmicos ſive Leoninos, à Nathane Chy-

Digitized by Google

Chytræo ante ſeculum conjunctim editos, à me autem juxta hanc Methodicam Excerpendi rationem diſpoſitos atque in ordinem redactos: qui libellus ſimul cum Præfatione ſua noſtram Excerpendi Methodum reddet clariorem.

§. 74. Poſſent etiam vel totus Cornelius Nepos, vel alii Auctores, ex. gr. Salluſtius, Iuſtinus, Virgilii libri Æneidos, Ovidii Metamorphoſes, imo ipſa S. Scriptura vel quidam ſaltem libri ejus in excerpta redigi. Ipſe etiam, Deo volente, ſumam aliquem ex his auctoribus excerpendum, ſi Patronos hæc nova Excerpendi ars repererit: vel etiam, ut hoc tempore feci, varios auctores percurram, atque notabiliora ex iis cum benevolis Lectoribus communicabo. Non ſane tædioſum eſt ejusmodi excerpta parare, ſed admodum jucundum. Penetramus ſic in cognitionem multarum rerum, quæ antea ſcientiam noſtram fugerunt. Multa ſæpe egregia in Auctore occurrunt, quæ alias in legendo præterimus atque tranſilimus; in excerpendo autem probe animadvertimus. Quid, quod ſtylus etiam excerptis ex Auctoribus claſſicis parandis non contemnenda capiat incrementa! Rebus quidem excerpendis primariò deſtinatus eſt hic labor; ſed tamen Phraſes quoque commodiſſime juxta eum excerpentur. Qui vellet induſtriam ſuam orbi erudito probare, poſſet juxta hanc Methodum excerpendos ſumere auctores quosdam raros, peregrinaque lingva, utpote Gallica, Anglica, Italica,

Polonica, imo Rabbinica & Arabica ſcriptos. Poſſumus præterea juxta hanc Methodum excerpere ex quibuslibet libris Theologicis tam dogmaticis quam moralibus: tum etiam ex variis libris Hiſtoricis, Itinerariis, Epiſtolis, Orationibus atque Poëtis.

§. 75. Utile eſt extare ejusmodi titulos, quos inſpiciens invenit magnam farraginem diverſarum materiarum, quæ in orationibus ſacris profanisque tractari, librisque ſcribendis anſam præbere queunt: poteſtque ſic orator vel ſcriptor materiarum habere ſelectum. Erunt hi tituli ei, qui antea Excerptis Adverſariis uſus eſt, tanquam index, hac ratione, ut titulis a nobis in ordinem redactis adſcribatur pagina, ubi in Excerptis Adverſariis quædam ad titulum aliquem ex theſibus noſtris pertinentia extent. Ita materiæ cognatæ, quæ in Excerptis Adverſariis diverſis in locis non ſine moleſtia quærendæ ſunt, etiam ad unum locum revocabuntur. Si cui Homiletæ ſint Poſtilla accurate elaborata, & velit locos communes ſparſim in iis tractatos in ordinem quendam redigere, titulos noſtros utiliter adhibebit. Nam hoc pacto ſciet, ſi de re quapiam agendum ſit, ubi materiam illam egregie jam pertractatam in Poſtillis ſuis quærere debeat. Neque tamen putandum, hanc Methodum omnes alias excerpendi Methodos e medio tollere, ſiquidem nihil ominus quilibet eligere poteſt Methodum genio ſuo convenientiſſimam. Inprimis hic commendari

Digitized by Google

dari merentur Excerpta Commentaria, quando ad alios Auctores quædam excerpimus. Hoc pacto potest Theologus parare Excerpta Commentaria in S.Scr. & Systema aliquod Theologicum; Philosophus in Systemata disciplinarum Philosophicarum; Philologus in Auctores Classicos, aliosque bonæ notæ scriptores. Huc referendum esset, si quis sumeret folia chartæ mundæ, eaque in duas columnas divideret, inscriberetque uni saltem columnæ, altera vacua relicta, quæ notanda ducere ex auctore, cujus ordinem sequi vellet; ita tamen, ut post singulam rem notatam spatium aliquod relinqueret, cui, ut & simul columnæ puræ, inscribantur ea, quæ, ex electo auctore notata, vel illustrare vel amplificare possint. Præter hæc tamen excerpta habenda est Methodus aliqua excerpendi universalis, ad quam ea, quæ alibi locum non habent, referamus. Hujus vicem excerpta juxta nostram Methodum confecta præstabunt.

§. 76. De universalitate enim hujus Methodi non dubitabit considerans, quæ ubicunque quis legit, sub titulis hisce excerpi posse, nullamque rem propositum iri, cujus titulus in thesibus nostris non inveniat locum. Acturus de re aliqua, si titulos nostros variis exornavit excerptis, evolvat in thesibus nostris rem propositam, & videat, an in excerptis suis sub titulis e thesibus nostris desumtis aliquid annotarit. Si parum inveniat excerptum sub titulo dato, adeat titulos cognatos

tos, qui hic simul exhibentur: & sic nunquam materia ad dicendum apta destituetur quin imo ipsæ theses nostræ recte inspectæ amplam inventionis materiam subministrant. De divitiis, honoribus, voluptatibus, item de virtutibus & vitiis circa hæc bona occupatis acturus, etiamsi nihil excerpserit, ope thesium nostrarum multa ad dicendum apta inveniet. Explicatur enim in thesibus nostris, quibus in rebus divitiæ consistant, quomodo acquiramus eas, quomodo eas amittamus. En amplam ad dicendum de divitiis materiam! Et ita de reliquis. Sic ad quamcunque actionem recte explicandam facient ea, quæ à nobis de actione in genere dicta sunt.

§. 77. Hæc sunt, quæ de hac excerpendi Methodo necessario indicanda esse duxi, pluribus eam illustraturus, si viri docti candidè monuerint, quid in ea adhuc desiderent. Imo posset alius quis propria industria titulos à nobis collectos in longè alium, sibi vel aliis fortasse aptiorem, ordinem redigere, multaq; alia in hac metho do mutare atque emendare. Maximopere à Lectore benevolo contendo, ne prius Methodum hanc rejiciat, quam recte eam perceperit. Si enim illam probe intellexerit, mitius forte de ea sentiet. Cum sciam, varia alia scripta de arte Excerpendi non fuisse neglecta, sed avide arrepta atque perlecta; has paucas pagellas etiam, nova eam ratione tractantes, benigne exceptum iri confido.

PARS PRIMA TITULORUM

exhibet

Theſes Titulorum Philoſophicorum ad Excerpta Methodica paranda neceſſariorum.

§. 1.

DEus, ut omnium rerum, ita & hominis cauſa eſt, quem *animam rationali* donavit. Hæc, operationes exercens, mens & animus vocatur, quæ fiunt juxta potentiam ipſi inditam, nempe ingenium, quod interdum præcox, cujusque notandum acumen, ſubtilitas, vel tarditas. (Theſi huic aſſignavi paginas 5.) primus ejus titulus reperitur in libro excerptorum p. 1.

§. 2. Primum bonum & prima facultas animæ eſt *intelligere* ſive intelligendi potentia, quæ ſuppoſito juncta deſignat perſonam, exſeritque ſeſe rem nude agnoſcendo per nomen, unde dies onomaſticus, & titulum ſuum, animadvertendo & imaginando ſibi aliquid. (2) 6.

§. 3. Imaginatio continuata facit *cogitationem*, meditationem, contemplationem. Cum curioſitate ſcrutamur, inquirimus, in quo animus non diſtrahendus, mentem exerce-

ercemus, comminiſcimur aliquid, conjicimus, ſuſpicamur, dubitamus, præjudicia fugimus, colligimus, opinamur, invenimus. (2) 8.

§. 4. *Deliberamus* porro, tentamus, experimentum ſumimus, experientiam conſequimur, probamus, demonſtramus, admiramur ad riſum usque (2) 10.

§. 5. *Ratio* autem, quam Logica, agens de terminis, enunciationibus, ſyllogiſmis & Methodo, dirigit, præſcribit, quomodo de re judicandum, æſtimandum, ſtatuendum, quæ ſententia amplectenda. (4) 12.

§. 6. Hæc omnia ducunt ad *ſcientiam*, polymathiam, doctrinam ſive eruditionem, quæ eſt cognitio rerum certa & clara, cujus perfectio eſt in ſapientia. (6) 16.

§. 7. Adverſatur ei *ignorantia*, quæ eſt ignotorum, error amplectens abſurda, imperitia, inſcitia, furor, quando anima officio ſuo fungi non poteſt. (4) 22.

§. 8. Scientia confirmatur *diſcendo* & ſtudiis. Diſcimus lingvas, Latinam, Græcam, ex quibus per interpretationem in vernaculam aliquid vertitur. Ad eas diſcendas opus Grammatica, Lexicis, Philologia. (2)

Diſci-

Digitized by Google

Discimus Philosophiam, humaniora, artes liberales atque reliquas artes. (6) 26.

§. 9. Doctrinam hanc haurimus ex *hominibus doctis* sive doctoribus, magistris per dignitates sive gradus Academicos promotis, Polyhistoribus, multis scriptoribus virisque celebribus, ut olim fuerunt Philosophi, Sophistæ, Scholastici: qui sunt Professores & Præceptores sive Pædagogi nostri, cavent̃es merito solicitudinem nimiam circa minutias (pædantismum) discipulosque & studiosos in scholis, ubi Rectores, vel Academiis in disciplinam suam recipiunt, docent, informant, erudiunt declarando, examinando. Quidam tamen autodidacti. (6) 32.

§. 10. Proficimus *legendo* libros, qui Patronis dedicantur, & sunt sæpe epitomæ aut collectanea, interdumque per plagium exscribuntur. Hos præbet typographia, condit Bibliotheca. (2) Scribendo pennâ literas in charta, in quo stylo nobis conveniente & Steganographia interdum utimur: imitando, de materiis controversis disputando. (6) 38.

§. 11. Quæ didicimus, fidelis *memoria* custo-

cuſtodit atque conſervat, nec oblivioni tradit. (1) 44.

§. 12. Hactenus actum de mente humana, & quomodo circa res verſetur. Iam ſequuntur res ipſæ, circa quas theoria inſtituitur, ſive circa quas mens percipiendo & contemplando occupata eſt. Sunt illæ (1) res à ſenſu remotæ, qualis eſt Deus & reliqui Spiritus, de quibus agit Metaphyſica, juxta quam COMPOSITUM reſpectu partium dicitur Totum. Habemus inter alia totum Univerſale & eſſentiale. Partes eſſentiales Phyſicæ ſunt Materia & Forma. Compoſitum, in quo partes re ipſa unitæ ſunt, eſt Unum. Deus vero non eſt compoſitum, ſed ens ſimplex ſingulare, immateriale, unum. ACTIO ſuſcipitur ob certum Finem, qui movet cauſam Efficientem, ut agat. Qui agere cupit, agendi Potentia inſtructus eſſe debet. Cauſas maximam partem conſequitur Neceſſitas. Deus jam eſt cauſa omnium rerum, à cujus providentia omnia gubernantur, nec fiunt fato, caſu vel fortuitò. In agendo eſt omnipotens, & tamen Actus purus. Reliquæ res ſunt contingentes: Deus autem cum neceſſitate

ſive

ſive neceſſariò exiſtit. REFERUNTUR entia ad ſe invicem, & ſunt vel Eadem vel diverſa, ad quæ referuntur differentia & contraria. Si res ad intellectum referas, is judicat, an, quod de iis dicitur, ſit verum vel falſum: ſin ad voluntatem, ea Bona appetit & mala refugit. Deus eſt ſemper idem, nihil ei ſimile: ad cujus tamen ſimilitudinem homines inprimis contendere decet. Eſt etiam ſummè verus eſt bonus (8) 45.

§. 13. (2) Ad contemplationem noſtram pertinent *corpora naturalia*, de quibus tractationem alias ſuſcipit Phyſicus. Sunt autem illa compoſita ex materia ſua & forma, quæ faciunt, ut res ſint ejusmodi ſubſtantiæ, in quibus hærent affectiones, qualitates, & accidentia. (4) 53.

§. 14. *Compoſitio* autem fit, quando res perplexæ ordine ſuo colliguntur, congregantur, ſit acervus, additur & adjicitur aliquid, ut fiat augmentatio, concinnantur & conjunguntur, ut fiat faſciculus, alligatur aliquid, ut adhæreat, oblinitur, convolvitur, cingitur, circumdatur, vincitur, colligatur vinculis, cui contrarium ſolvere, laxare, coarctatur, comprimitur, ut concreſcat. (2) 57.

§. 15.

Digitized by Google

§. 15. Exinde res fit *extenſa* & quanta, habens certam ſtaturam, ut ſit vel magna parva, longa brevis, alta procera, ut emineat, lata & profunda ob denſitatem & craſſitiem, ut tumeſcat. Inde eſt dura, gravis, ut ſit oneri. Ex compoſitione ſunt etiam affectiones quædam, nempe ſubtilitas, raritas, viſcoſitas, friabilitas, ut res tactu ſit mollis, lævis, lubrica, lenta (3) 59.

§. 16. Ex quantitate reſultat certa *forma*, ut res ſit quadrata, angularis, habeat latera, in ea medium, ſit rotunda aut globus. Res formam nacta eſt totum, perfectum, habens certam naturam & temperamentum, erga alias res vel antipathiam vel ſympathiam. (3) 62.

§. 17. Res ſic præparatæ manent *firmæ*, conſtantes, nec ſunt vanæ aut fragiles. Natura autem diverſa facit rerum varietatem, ut res differant, quæ tamen interdum ſimiles & inter eas ſimilitudo. (1) 65.

§. 18. Rerum *viciſſitudo* facit, ut forma ſæpius tollatur, dum res vel mutatur, quod fit, quando extenditur ſive dilatatur, politur, acuitur, exſcinditur, circinatur, dolatur, ſculpitur. (1) 66.

§. 19.

Digitized by Google

§. 19. Vel res *dividitur*, & una pars ſeparatur atque ſegregatur per diminutionem, decerpendo, quando frangitur, diffringitur, rumpitur, disrumpitur, laceratur, ſecatur, abſcinditur aliquid, amputatur, diſſecatur, ſucciditur, finditur, transfoditur, fit foramen. (2) 67.

§. 20. Vel res *alteratur*, quando mollitur, rarefit, coquitur, diſſolvitur, liquefit, conflatur, exhalat, miſcetur, fermentatur, contunditur, comminuitur, atteritur, a vi interna, quando putreſcit, emarceſcit, corrumpitur, ut tamen aliquid reliquum maneat. (3) 69.

§. 21. Complexus omnium corporum dicitur *mundus*, cujus ſuperior pars cœlum, firmamentum, continens corpora cœleſtia, Solem, circa quem conſpiciuntur parelii, Lunam; quæ patiuntur eclipſes, planetas errantes per Zodiacum, cometas cum reliquis ſtellis, ſideribus atque aſtris, quæ influxum quendam habent in inferiora: de quibus agit Aſtronomia & Genethliaci, ex nativitate futura prædicentes & prognoſtica ſcribentes. (5) 72.

Digitized by Google

§. 22. Hæc inferiora autem, quæ in terra ſunt, conſtant ex *corporibus ſimplicibus* ſive atomis & minutiſſimis particulis, ex quibus componuntur elementa. (2) 77.

§. 23. Sunt hæc *ignis*, qui exſiccat, torrefacit, calefacit, ut res tepeat, caleat, ferveat, æſtuet. adurit, incendit, ut res ardeat & exardeat, excitat, flammam, ſcintillas, fumum; comburit, relinquit torres, prunas, cineres. Meteora ignita fax, ſtella cadens. (3) 79.

§. 24. *Aër* agitatus eſt ventus, qui vehementius flans, eſt procella, turbo. Venti alias ſunt Eurus, Zephyrus, Auſter, Boreas (3) 82.

§. 25. *Aqua* eſt frigida & humectat, frigore condenſatur, & fit glacies. Reperitur in puteis, ciſternis, ſtagnis, paludibus, thermis, ſcaturit ex fontibus, per fluvios fluit; qui motus facit ſpumas. Nonnunquam in ea conſpiciuntur bullæ. Fluvii congregantur in mari, quod habet ſinus, freta, vortices, fluxum ac refluxum, inundat interdum, unde diluvium. (3) 85.

§. 26. Ex aqua oritur *vapor*, nebula, pruina, ros, nubes, in qua iris. Nubes reſolvi-

tur

tur in pluvias ſtillantes per guttas, nivem, grandinem. Inde ſæpe eſt tempeſtas cum tonitru, fulmine & fulgore. Aquam haurimus, exprimimus, fundimus, eâ aſpergimus, tingimus, in ea ſubmergimus. (3) 88.

§. 27. In *terra*, quæ terræ motibus obnoxia, habentur arena, pulvis, gleba, cœnum, lapides, rupes, petræ, ſcopuli, marmor, gemmæ, adamas, magnes, margarita, corallia, vitrum. (5) 91.

§. 28. Terra communiter eſt *plana* & campus. Tumuli autem in ea faciunt montes oppoſitos vallibus, in quibus ſpeluncæ. Terra mari cincta eſt inſula. (2) 96.

§. 29. Ex *metalli fodinis* effodiuntur metalla, æs, plumbum, ferrum, chalybs, ſtannum, cuprum, orichalcum, argentum, aurum Alchymiſtarum cura, Mercurius. Mineralia, creta, ſal, calx, bitumen, ſulphur. (3) 98.

§. 30. In terra *progerminant* ſive creſcunt animam vegetantem habentes plantæ ex ſemine, ex quo radix ſuccos attrahens, ut planta nutriatur & augeatur, caulis & culmus.

mus. Plantæ interdum ferunt fructus ſuo tempore matureſcentes, transplantantur, exſtirpantur. (2) 101.

§. 31. Sunt plantæ vel *herba* ſive gramen in pratis generatum, ex quo fit fœnum, juncus, urtica, carduus, fungi. Vel herbæ odoratæ hyſſopus, ruta, abſinthium. Vel olera, lactuca, braſſica, tabacus, cepe, cucumeres, rapæ. (2) 103.

§. 32. Vel *Flores*, viola, roſa, lilium, heliotropium, tulipa, aloe, lilium convallium. Vel fruges habentes ſpicam, ariſtam, grana, ſtramen, ſtipulas. Sunt hæ triticum, ſiligo, hordeum, avena, milium, legumina, piſa, fabæ. Vel frutices ſive virgulta, fraga, ſentes, ſpinæ, vitis, uvas proferens. (3) 105.

§. 33. Vel *arbores* habentes truncum & lignum ex quo fiunt aſſeres, quodque exſudat reſinam; corticem, ramos, folia. Patiuntur arbores ſurculorum inſertionem. (2) 108.

§. 34. Species arborum *ceraſus*, prunus, oliva, morus, ficus, pirus, malus, nux, caſtanea. In ſylvis creſcunt laurus, quercus,

cus, fagus, palma, abies, pinus, tilia, populus, ebenus, cedrus. (3) 110.

§. 35. *Animalia* præter vitam habent etiam facultatem ſeſe movendi & ſentiendi. Senſus autem externos pro modo perceptionis dividimus. Tactus, olfactus, auditus non tam facile in percipiendo impediuntur, quam viſus & guſtus. Senſus interni : ſenſus communis, phantaſia & memoria. Senſum ſequitur appetitus cibi, potus & Veneris. (3) 113.

§. 36. Sunt animalia vel aquatilia ſive *piſces*, inſtructi ſquamis & pinnis, ut haleces, carpiones, ſalmones, angvillæ, balenæ, delphini, Sirenes, conchæ, teſtudines, cancri. Aluntur in piſcinis vel mari. (3) 116.

§. 37. *Aves* teguntur pennis, alis volant, habitant in nidis, excludunt pullos. Sunt gallus & gallina, anſer, cygnus ſive olor, pavo, columba, turtur, paſſer, hirundo, pelicanus, phœnix, luſcinia ſive philomela, pſittacus, cuculus, noctuo, bubo, veſpertilio, coturnix, perdix, ciconia, grus, vultur, ſtruthio, corvus, milvus, accipiter, aquila. (3) 119.

Digitized by Google

§ 38. *Insecta* muſca, ſcarabeus, cicada, apis. Inſecta terreſtria vermes, pediculus, pulex, tinea, formica, eruca, aranea, bombyx, ſcorpius, ſerpens, draco (2) 122.

§. 39. *Pecora*, beſtiæ ſive bruta habent cornua, pelles, caudas. Sunt ovis lanam gerens, hircus cum capra, porcus, ſus, bos, vacca cum vitulo. Aſinus, equus, camelus, elephas. Simia, canis, erinaceus, felis, mus. Rana, caſtor, crocodilus. Feræ, ut lepus, aper, cervus, monoceros ſive unicornu, ſatyri, vulpes, lupus, urſus, leo. (5) 124.

§. 40. Præſtantiſſimum omnium animalium eſt *homo*, habens præter animam vegetantem & ſentientem etiam rationalem. (4) 129.

§. 41. Habent animalia *corpus* ex variis partibus conſtans. Sunt illæ oſſa, in quibus medulla, dentes, quibus mordemus, ſpina, coſtæ, ſangvis per venas & arterias fuſus, in quo ſpiritus vitales. Nervi, caro diſtributa in muſculos, quæ vel eſt pingvis & lardum, adeps, vel macilenta. Tegitur caro cute. (4) 133.

§. 42. Exinde ſunt reliqua *membra* & orga-

organa: caput, quod habet in cranio cerebrum, & cingitur capillis ſive canis, qui pectuntur, tondentur, & decidentes calvitium monſtrant. (3) 137.

§. 43. *Facies* ſive vultus, in quo animadvertitur præcipue phyſiognomia, oſtendit frontem aliquando corrugatam, tempora, oculos, in quibus pupilla & viſus. Vident autem res illuſtratas à claritate luminis ſive lucis, quæ efficitur facibus aut candelis ſupra candelabrum poſitis, lucernis. Quod luci opponitur, umbram ſpargit. Abſentia lucis facit tenebras aut obſcuritatem. (3) 140.

§. 44. Vident etiam res tinctas *colore* vario, albas, candidas, argenteas, cœruleas, violaceas, virides, flavas, aureas, fulvas, rubras, purpureas, nigras. Facies nonnunquam fuco inungitur. Colorum apta commixtio facit formoſitatem, pulchritudinem & elegantiam, quam impediunt deformitas, maculæ. Fit etiam mixtio colorum per pictores imaginum. Res ſæpius raſa fit ſplendida, nitida. (3) 143.

§. 45. Videmus aliquid in *ſpeculo*, aſpicimus, proſpicimus, reſpicimus. Oculo-

rum crebra mutatio nictatio audit. Impeditur visus per cœcitatem, & quando res evanescit. (2) 146.

§. 46. *Auris* audit, auscultat sonos, editos vel voce, ut gemitum, murmur, strepitum, fremitum, vociferationem: mugitum, hinnitum, sibilationem; vel dentibus, quibus frendemus; vel instrumentis, ut clangorem; vel pulsione. Aures vel obturantur vel impedimentum ponit surdities. (4) 148.

§. 47. *Nasus*, in quo olfactus, odoratur res bene olentes & fœtidas. Os ornatum labiis tegit lingvam, lambentem & gustantem sapores dulces, acidos, amaros, acres, acerbos, austeros. (4) 152.

§. 48. *Mala* & mentum barba superbiens, quæ novacula raditur. Collum, brachia, manus, in qua sensus tactus præcipue sese exserit, instructa digitis, explicans se in palmam & contrahens in pugnum; contrectans, tangens, palpans, apprehendens, amplectens, capiens, continens, retinens. (3) 156.

§. 49. In anteriore parte est *pectus* continens mammas, & cum ventre, qui umbilicum

licum habet, faciens ſinum ſive gremium. In tergo eſt cervix, ala, humerus, gibbus, femur, lumbi, anus, cauda. Inde ſunt pudenda, pedes, quibus calcamus, claudicamus, in quibus genua. (3) 159.

§. 50. *Partes interiores:* palatum, guttur, fauces, inteſtina, cor, jecur, pulmo, ventriculus, veſica (3) 162.

§. 51. Ad *vitam* animalia perveniunt creatione, conceptione ſeminis, partione & generatione, quæ unum partum, interdum geminos ſive gemellos & prolem numeroſam, nonnunquam abortum & monſtra, gigantes aut pumiliones profert, datque nobis ortum, nativitatem & natalem. Quod recens incipit, novum eſt. Oritur aliquid ſubitò, ex tempore, ex inopinato, improviſo & inſperato, tempeſtivè, rarò, ut res raro occurrentes (raritatem) & ſingularia. (4) 165.

§. 52. Corpus ſic vitam conſecutum *reſpirat*, anhelat, habet operationem ſenſuum, dum vigilat. Quando autem quieſcit & dormit: ſtertit, patitur inſomnia, videt ſomnia, donec evigilet vel excitetur. (3) 169.

Digitized by Google

§. 53. Patitur corpus *ſternutationem*, ructum, flatum ventris, vomitum. Excernit mucum, ſalivam, urinam, ſtercus. (2) 172.

§. 54. Res ſunt in *loco*. Hic vel planus, ſublimis, ſummus vel imus, profundus, abyſſus, habet fines, limites, extrema; eſt vacuus vel plenus, anguſtus, aſper, procul ſive diſtans. Sunt certæ plagæ, oriens, occidens, meridies, ſeptentrio (2) 174.

§. 55. *Movetur* aliquid è loco in locum, dum projicitur, ſpargitur, ventilatur, quaſſatur, diſpergitur, ſternitur, volvitur, tunditur, impellitur, ubi impingit & allidit, trahitur, ducitur, affertur, portatur. (2) 176.

§. 56. In loco res certum *ſitum* habet, dum ibi ponitur, tenetur, figitur & ſuſpenditur, vel ſtatuminatur, innititur fulcro, quieſcit, jacet, cubat, ſtat, ſedet, relinquitur ibi, ut ſuperſit veſtigium. Vacillat, nutat, titubat, inclinat; incurvat, flectit ſe, fit prona, curva, ſe levat, erigit, ſurgit. (2) 178.

§. 57. E loco aliquid *aufertur*, dum amovetur, tollitur, evellitur, ejicitur, depellitur, labitur atque decidit. (2) 180.

§. 58.

Digitized by Google

§. 58. Durant res per *tempus*, quod vel præſens, nunc, hodie, vel præteritum, quo antiquitas vixit, & futurum. Dividitur in momenta, horas, quas indicant horologia, dies, diviſos in tempus matutinum, diluculum, auroram, pomeridianum, nocturnum ſive noctem, menſes, annos, qui incipientes novus annus dicuntur, determinanturque ſecundum regimen temporum, quorumque partes, ver, æſtas, autumnus, hiems, æquinoctium; ſecula. (3) 182.

§. 59. Computatur tempus per diverſas *æras*, quod chronologia docet. Tempus absque fine eſt æternitas. A tempore, quo quis vivit, eſt diverſa ætas, ut alii ſint infantes, pueri, in pueritia adhuc conſtituti, adoleſcentes, juvenes, majorennes, viri, ſenes quandoque rejuveneſcentes, vetulæ, longævi. (3) 185.

§. 60. Quæ res ætatem ſuam peregit, *exſpirat*, occidit, moritur, quæ mors per αὐτοχειρίαν & homicidium attrahitur: conſumitur, deficit, interit, perit, deſtruitur. (2) 188.

§. 61. Vidimus hactenus intellectum,

&

& quæ ipſi objiciuntur. Sequitur jam altera facultas animæ noſtræ, nempe *voluntas*, qua volumus bonum, quod finis noſter & perfectio noſtra; renuimusque malum. De bonis intellectus, quæ ſunt virtutes intellectuales; item de bonis corporis, quæ ſunt accidentia & perfectiones ejus, ſupra jam actum. Voluntas per crebram praxin adſveſcenda eſt, ut in appetendis bonis fugiendisque malis recte ſe gerat; & quando habitum in illis recte appetendis & hiſce fugiendis contraxit, inſtructa eſt bonis ſuis, id eſt, virtutibus moralibus, quæ ſunt firmum propoſitum nos erga reliqua bona (divitias, honores, voluptates) nec non erga mala recte & ſecundum leges gerendi. Leges enim volunt, ut cuique ſua bonitas conferatur, collata augeatur atque conſervetur, malaque vel avertantur vel recte ferantur. Bonum igitur habetur omne utile, cujus eſt pretium aliquod, omne honeſtum, decorum, conveniens, omne jucundum, quod gratum acceptumque eſt: in quo ſalus ipſa recumbit. Bonum præſtantiſſimum eſt ſummum. Id aſſecutus in ſtatu beatitudinis eſſe prædicatur, eſt tran-

tranquillus, quod hominibus in aureo ſeculo contingebat. (10) 190.

§. 62. Bonum movet *appetitum* noſtrum ſive inclinationes, quæ ſunt ſecundum indolem, & affectus ſive perturbationes animi. (3) 200.

§. 63. Sic *placet* nobis, amamus illud non libidine & cupiditate inordinata: ſed ſponte non invitò, pro libertate arbitrii eligimus, intendimus, proponimus, decernimus, deſideramus, expectamus, non diffidimus, ſperamus neque deſperamus, nos id aſſequi poſſe. (4) 203.

§. 64. Hinc ipſa *Machinatio*, actio, exſecutio. Agimus res atque negotia noſtra, in quibus debemus eſſe occupati, non autem in parergis. Actio eſt magnorum vel minimorum, facilium vel difficilium, poſſibilium tamen. Impoſſibilia enim hominibus, fiunt per ſola miracula. (6) 207.

§. 65. Actio poſt *præparationem* ad illam incipit & habet principium, continuatur cum aſſiduitate & conſtantia absque mutabilitate, ſi media ſufficientia adſunt & res bene ſuccedit; repetitur, variique circa eam

eam obſervantur caſus, ſuntque fatalia nomina, loci, dies, menſes, anni. In actione ſumus feſtinantes & celeres, vel tardi, morantes, cunctantes, procraſtinantes, remiſſi. (3) 213.

§. 66. Quandoque *interrumpitur*, impeditur, differtur aut plane omittitur & ceſſamus ab ea. Tandem abſolvitur, ſortitur finem, res fit perfecta poſt antecedentem imperfectionem, habet ſuum eventum. Inde eſt opus & res geſta, de qua hiſtoria. (3) 216.

§. 67. Requiritur ad actionem *potentia*, vis, robur, vegetudo carens infirmitate. Porro aptitudo, conatus, audacia, opera, cura, induſtria, vigilantia, alacritas, ſolertia, fervor, obfirmatio animi. (3) 219.

§. 68. (2) *Virtus*, de qua in Ethica, docens rerum uſum, ne iis abutamur, monens, ut obſervemus modum & mediocritatem, caveamusque nimium, conſiderantes circumſtantias. (8) 222.

§. 69. Docet præterea habere *cognitionem noſtri*, imperium in nos ipſos exercere, ne ſimus φίλαυτοι. Qui hanc poſſidet, eſt vir bonus, pius, ſanctus, fugiens hypocriſin.

ſin. In hac proximus ædificandus, &, ſi ab ea aberravit, emendandus, corrigendus. (4) 230.

§. 70. (3) *Prudentia* & cautio fugiens calliditatem, temeritatem, ſimplicitatem, ſtupiditatem, ſtultitiam, cavens, ne quis ſit naſutulus vel morio. (3) 234.

§. 71. Actiones noſtras *adjuvat* benedictio divina, cui adverſa maledictio, imprecatio. Magia autem cum omnibus præſtigiis & geniis nihil valet, nihil ſagæ vel venefici. Iuvant porro aſſvefactio, exercitatio ſive exercitia, opportunitas, occaſio. Impedit actionem πολυπραγμοσύνη. (4) 237.

§. 72. Ad bonum obtinendum adjumento ſunt *Patroni* nos commendantes atque pro nobis intercedentes, inſinuationes, preces non metuentes repulſam, vota & optationes. (3) 241.

§. 73. Incitant ad actionem *Timor Dei*, ſtatutum, lex, cujus effectus ſunt res incorporales, quamque moderatur æquitas. Hæc præſcribit homini officia ſua, quæ ipſi incumbunt vel erga ſeipſum, vel ſunt officia ſocialitatis; præcipit, imperat, jubet, obligat,

gat, cogit ad obedientiam, ne ſimus inobedientes ac refractarii. Si quis tamen ab ea excipitur, eſt privilegium. Inſtar legis eſt conſvetudo. (6) 244.

§. 74. Quæ *permiſſa* ſunt, licita nec prohibita ſive vetita, bona cum venia agere poſſumus. Præcedere actionem ſolent ſigna, omina, præſagia, prodigia, vaticinia, divinationes per ſibyllas & oracula editæ aut ex chiromantia petitæ. (3) 250.

§. 75. Impellit & *conſcientia*, auctoritas aliorum, exemplum, inſpectio vitæ alterius, imitatio, æmulatio, conſilium, admonitio, excitatio, blandimentum, promiſſio, ſeductio, prætextus. (4) 253.

§. 76. Conſequens *actionis* eſt *finis* ejus, ob quem inſtituitur, nempe omne bonum: ut ſcilicet homines illam approbent, nobis imputent, bonum inde habeamus teſtimonium, laudem inde conſequamur, præmium, quæſtum, lucrum. (3) 257.

§. 77. De bono, quod adepti ſumus, *gaudemus*, lætamur, jubilamus, in eo ſpem ſive fiduciam ponimus. In aliis quando eſt, excitat favorem, gratulationem, nonnunquam indignationem, invidiam. (3) 260.

§. 78.

Digitized by Google

§. 78. Iam ſpecies bonorum enumerandæ erunt. Maximè permovent hominem *divitiæ*, reditus, res familiaris, poſſeſſiones & proprietates, quæ aliquando ſervitutibus ſubjectæ, dominia, ſi habeant theſauros reconditos, omnique copia affluant. Tunc utuntur fortuna ſecunda ſive felicitate & felices ſunt, commodaque & utilitates inde percipiunt. (6) 263.

§. 79. *Modus divitias acquirendi* mirum in modum variat. Accipimus eas vel per ſucceſſionem, quæ quandoque eſt ab inteſtato; hæreditatem, quæ aditur vel repudiatur, dividitur & collatio inſtituitur, ſeparatur & venditur, quæ interdum fidei commiſſaria, per quamque hæredes inſtituimur; ſubſtitutionem, mortis causâ capionem; teſtamenta, interdum invalida, privilegiata; circa quæ querela nullitatis & inofficioſi; codicillos, legata, fidei commiſſa; præſcriptionem, inventionem, ſortes (3) 269.

§. 80. Modus optimus eſt per *commercia*, quæ fiunt per mercaturam, quando mercator merces, exoticas interdum, proponit atque vendit in nundinis, foro, tabernis:

alter autem carè aut vili pretio emit vel paratâ pecuniâ & monetâ, vel permutatione. (3) 272.

§. 81. Tunc evadimus *debitores*, obærati interdum, ob debita, quæ interveniente nonnunquam cambio ſolvenda, & exiguntur à creditore, ubi ſæpe concurſus creditorum; à quibus tamen & compenſatione liberamur. Haud rarò ſponſores interponimus, fidejuſſionem, obligationes vel pignus. Pecunia interdum ſumitur à fœneratoribus, qui uſuras capiunt. Lucrum denique eſt ex eo commercii genere, quod vocatur depoſitio rei, quæ juſto tempore repeti poteſt; locatio & conductio. Res interdum conceditur per mutui acceptionem ſive commodatum, vel precarium. (3) 275.

§. 82. Ut commercia exactè fiant, res *numerantur*, an unæ vel multæ, duæ, utræque, tres, quatuor, quinque, ſex, ſeptem, octo, novem, decem, undecim, duodecim, an par earum: item menſurantur, in libra ponderantur, quo facit Matheſis, cujus partes Arithmetica, Geometria, quamque profitentur Mathematici. Inſtituuntur propter

pter ea profectiones, itinera, peregrinationes infortuniis ſubjectæ (4) 278.

§. 83. Imus in *via*, vel pedibus ingreſſu quodam, vel curru vehimur vel equo. Ambulamus, currimus, repimus, ſerpimus, aſcendimus, deſcendimus. (2) 282.

§. 84. *Eximus* tenentes baculum, abimus, decedimus, diſcedimus, expellimur, abſumus, plus ultra progredimur. Comites ducunt nos, vel aliquis præcedit, vel occurrit nobis, vel ſequitur & perſequitur; qui nos agitat, quem fugimus, donec nos conſequatur: vel ipſi prævenimus alios. (2) 284.

§. 85. Quandoque *declinamus* à via, erramus, vagamur, circumimus, transimus, appropinquamus ad terminum, venimus; adventu noſtro, interdum, raræ aves, præſentes ſumus, & quia nos ibi peregrini, diverſoria quærimus, excipimur, recipimur, divertimus, manemus, redimus. (2) 286.

§. 86. Quo ipſi venire non poſſumus, *mittimus* alios. Navibus, quæ inſtructæ ſunt anchoris, & interdum naufragio pereunt, navigamus, donec perveniamus in portum (2) 288.

§. 87. Commercia dirigit *æquitas*, justitia nitens jure vel naturæ vel civili, aliquando jure talionis, necessitatis, dominii directi, vasalli, cavens injustitiam & injurias: docens, quomodo instrumenta paranda, contractus, qui vel innominati, fortuiti, pignoratitii, ex una parte impleti, novationes, transactiones; ad quos contractus conciliandos proxenetæ adhibentur; item pacta instituenda, quæ interdum confirmantur juramento, quod per perjurium non violandum. Obligationes tamen certis modis etiam tolluntur. Senatus Consultum Vellejanum fœminis pro aliis intercedentibus succurrit. (5) 290.

§. 88. Debemus in iis esse *candidi*, sinceritati studentes, fidem servantes non deceptores, fraudem intentantes, fallaciis, dolis, stellionatu, atque insidiis circumvenientes aut impostores. (3) 295.

§. 89. Divitias etiam afferunt *opificia* exercita ab opificibus & artificibus variis, qui opus suum faciunt & laborant magna cum diligentia, fugientes otium, negligentiam, pigritiam & ignaviam, adeo, ut sudor haud raro exprimatur & fessi fiant. (3) 298.

§. 90.

Digitized by Google

§. 90. Hi *designant*, describunt, parant, fingunt, formant, aptant, emendant, renovant, idque variis instrumentis. (2) 301.

§. 91. Circa *agros* & fundos versantur agricolæ sive rustici, qui, ut agros fertiles reddant, eos stercorant, fodiunt, arant, serunt aut plantas inserunt. Exinde fiunt fruges, quas claudunt sepe. (2) 303.

§. 92. Gaudent adventante *messe*. Tunc domum devectas triturant, cribrant, mittuntque frumentum ad molendina. Pistor demum ex eo coquit panes, cerevisiarius cerevisiam. (2) 305.

§. 93. *Hortos* colit hortulanus. Cura vinearum etiam rusticis propria, qui adventante vindemia vinum exprimunt in torculari. (2) 307.

§. 94. Circa animalia versatur *cura pastoritia*; quæ ut domentur, opus est restiariis, ephippiariis. Saginata mactantur à lanione. Cura etiam est circa apes, quæ per examina alvearia vetera relinquunt, & conficiunt mel & ceram. (3) 309.

§. 95. Feras *venamur* in sylvis, aves capit auceps laqueo, pisces piscator hamis, reti.

Digitized by Google

Omnia tandem deferuntur ad cauponem. (2) 312.

§. 96. Domos parat *Architectus*, qui utitur vecte, regula, perpendiculo, ſerra, malleo, clavis. Ipſi præbet lapicida lapides, ferrarius ferrum. Sculptor & pictor domui elegantiam addunt. (3) 314.

§. 97. Veſtes conficit *ſartor* ſecundum elegantiæ ſtudioſorum habitum (mode) acu è panno, quem contexuerat textor è filis, quæ nentur in colo, & per nodum connectuntur. Ad ſecandum pannum opus eſt ipſi forfice. Calceos conficit ſutor. (2) 317.

§. 98. Inſtrumenta varia parant *figulus*, doliarius, arcularius, carpentarius, bibliopegus. (2) 319.

§. 99. Acquiſitæ opes *cuſtodiantur* & conſerventur, partaque tueamur per parſimoniam & frugalitatem, iis contenti ſimus & *αὐτάρκεις*, alieni à faſtidio rerum præſentium. Fugiendus amor divitiarum nimius, avaritia, tenacitas, ſordities. (5) 321.

§. 100. *Communicantur* per beneficentiam, liberalitatem & magnificentiam, gratificationem, traditionem, munera, dona

ſive

ſive donationem, quam antecedit promiſſio ſive pollicitatio; & ſtrenas. Damus aliquid ad pias cauſas, vel eleemoſynas pauperibus. Talibus qui fruitur, beneficium accipit, pro quo opus gratitudine, averſante ingratitudinem, & compenſatione. (5) 326.

§. 101. *Amittuntur* per nimios ſumtus, prodigalitatem & luxum. Item per furta & latrocinia: res ſacræ per ſacrilegia. Res noſtras nobis vindicare poſſumus, quo ſpectat & evictio rei. (3) 331.

§. 102. *Honor* hominem valde afficit. Eſt is ex bono aliquo nobis inexiſtente, ut ex nobilitate generis, quando majores per longam genealogiam enarrantur, vel ex potentia, vel virtute & rebus geſtis, ob quas aliqui in ordinem equeſtrem recipiuntur, vel officio quod gerimus, conferente dignitatem & titulos. (6) 334.

§. 103. Hoc bonum animadvertentes *homines amant nos*, apud ipſos ſumus in gratia, ſunt erga nos benevoli, gratioſi, nobis faventes, officioſi, nobis inſerviunt, bene de nobis merentur, nos colunt, placendi nobis ſtudio ducuntur, libenter nobiſcum converſantur. (3) 340.

Digitized by Google

§. 104. Debent converſantes eſſe *virtutum homileticarum* ſtudioſi, humani, comes, non tamen adulationi aut blanditiis operam dare, ut ſint paraſiti. Odio præterea habeant *μισανθρωπίαν* & moroſitatem. (3) 343.

§. 105. (2) Debent eſſe *bonis moribus* externis, per quos homo decorum obſervat, ſe aliorum ingenio accommodat, nec eſt ſingularis. In converſantibus itaque ſit civilitas, abſit ruſticitas: in geſtibus obſervetur gravitas. (3) 346.

§. 106. (3) Debent eſſe *facundi* atque eloquentes. Loquimur autem lingvâ, verba & voces formante, quæ conjunctim prolatæ faciunt ſermonem; qui ſi longus, oratio eſt, in qua thema quoddam pertractatur, ad quam habendam opus eſt parrheſia & bona pronunciatione, quamque formare docet Rhetorica ſive oratoria: ſi nimis clarus, clamor, quem reddit Echo. (3) 349.

§. 107. Loquentes ad præſentes *ſalutamus* vel valedicimus. Erga convenientes exhibemus nos affabiles, audientiam iis damus, complimentis utimur, affirmamus, negamus, interrogamus & reſpondemus, narra-

narramus. Ad abſentes mittimus nuncios aut epiſtolas, ſigillo firmatas, per curſores ſive poſtas deportandas, ex quo fit commercium literarum (correſpondenz) (3) 352.

§. 108. Loquimur *ſententias*, proverbia, ſymbola, arcana, ſecreta, res ſerias; & ludicra, facetias, jocos, quos regit urbanitas ſcurrilitatem fugiens: novitates, poëmata, de quibus agit Poëſis: anagrammata, fabulas, parabolas, emblemata, ænigmata. (3) 355.

§. 109. Sermones dirigit *Veritas* ſive veracitas, quam qui affert, ei credimus, absque tamen credulitate. Veritatem non prodit, qui celat, ſimulat & diſſimulat, utitur æquivocationibus: item falſiloquus, falſa & mendacia proferens. (2) Sermones moderatur taciturnitas & tempeſtivum ſilentium, prohibens temeritatem linguæ, ne ſimus loquaces, garruli. (3) 358.

§. 110. (4) Converſantes *concordiam* debent ſervare, exſecrantes diſcordiam, certamina, lites, rixas, contentiones, duella, aut ortis iisdem ſtatim quærere reconciliationem. (3) 361.

§. 111. Quando jam in converſatione bona noſtra homines animadverterunt, *ſocietatem* & conſortia nobiſcum colunt, utpote à quibus & ipſi omnia bona expectant, ſe nobis ſubjiciunt, nos efferunt, dominationem atque imperium nobis deferunt. Inde ordo inter homines, præcedentia, diverſi ſtatus & conditiones, quæ tollunt æqualitatem. (3) 364.

§. 112. Omnis igitur honor obvenit in ſocietate, quam non colunt *ſolitudine* & deſertis delectati. (1) 367.

§. 113. Societates ſunt ob certa negotia, quæ interdum per mandatum incumbunt, conficienda & *communionem quorundam bonorum.* Societates majores ob bonum, utilitatem & ſalutem publicam. In iis fiunt multa juxta rationem ſtatus. (2) 368.

§. 114. Ut hæ ſartæ tectæ maneant, *eliguntur* vel interdum parentibus & anteceſſoribus decedentibus ſuccedunt in republica Monarchica Imperatores, Reges cum Reginis in regnis ſuis, Principes cum Principiſſis, Comites. Interdum reſp. Ariſtocraticè & Democraticè gubernatur aut ſtatus eſt corruptus. (5) 370.

§. 115.

§. 115. Imperantibus confertur *administratio reip.* ſummum imperium ſive majeſtas & magna potentia: indicata per certa inſignia, dum coronam & ſceptrum geſtant, in thronoque ſive ſolio ſedent. Qui ſua potentia abutitur, tyrannus audit. Mulierum imperium eſt gynæcocratia. (4) 375.

§. 116. Adminiſtrationem reip. gerit imperans per ſuos *vicarios*, magnates, miniſtros, cæterosque politicos & aulicos in aula degentes, qui ipſius favore utuntur (favoriten) & tali honore digni habentur: ad quorum aliquos cura rerum præcipuarum redit (fac totum) Hi curant publica, hisque conferuntur variæ functiones, & promoventur ad varia officia & munera publica, de quibus ratio reddenda; quæ ſi quis conſequi conetur, candidatus audit, quem impediunt competitores; ob quæ etiam gerentibus ea ſplendida dantur ſalaria. Ob officiorum multiplicitatem exactioremque curam uni à latere ponuntur collegæ. (3) 379.

§. 117. Sunt hi miniſtri *Cancellarii*, conſiliarii, ſecretarii, ſcribæ, ſatellites. Regionibus dat præfectos, in civitatibus eſt cer-

tus

tus Magiſtratus & ſenatus in curia conveniens, in quo præcipua auctoritas eſt Conſulum. Quando res magna agenda, fiunt conventus & convocantur comitia. Interdum magnæ ſolennitates celebrantur. (4) 382.

§. 118. Ad exteros *Legati* mittuntur, cum quibus & fœdera coluntur. Abdicant ſe magiſtratu, qui non amplius eo gerendo delectantur, qui etiam plerumque emeriti nominantur. (2) 386.

§. 119. Correlatum hujus potentiæ eſt *reſpublica*, univerſitas, civitas, in qua cives, ſubditi, quorum tamen diverſa exiſtimatio, habentque jus aliquod circa res publicas; vaſalli, quibus feuda conceduntur, circa quæ conſideranda feudi materia, natura & varietas; perſonæ feudum conſtituentes & judex feudalis; feudi origo, conſtitutio conſenſualis, præſcriptio, teſtamentum & tutela feudalis, ſucceſſio legitima liberorum, parentum & collateralium, ſimultanea inveſtitura & expectantia, renovatio inveſtituræ, debita feudalia, pignus feudale tacitum, concurſus creditorum, alienatio feudi, alienati feudi revocatio, amiſſio feudi. In civitate

vitate porro ſunt privati, vulgus, plebs. Tales habitant vel in pagis, qui habent ſuos diſtrictus, & vicis, ubi villæ, vel fortalitiis & caſtellis, vel municipiis, ubi collegia municipum, urbibus & oppidis, quæ interdum emporia, munitis & cinctis muro, turribus, arcibus foſſisque, quibus pontes inſternuntur, habentibusque portas. Populoſæ urbes emittunt etiam colonias. Vel habitant in diverſis regionibus, inſulis, & ſunt diverſi populi, barbari, Europæi, Aſiatici, Africani, Americani, de quibus agit Geographia, exhibita in tabulis Geographicis; docens, quid ſit polus, æquator, Zodiacus. (5) 388.

§. 120. Debent omnes juxta *homagium*, quod præſtiterunt, obedientiam, quam ſi excedunt, deficiunt, conſpirationes & ſeditiones movent. (2) debent ferre onera, dare tributa & vectigalia, quæ conduntur in ærario ſive fiſco. De his omnibus agit Politica. (3) 393.

§. 121. Ob vitam commodiorem eſt etiam *ſocietas conjugalis*, conjugium ſive matrimonium, in quo ſimul aliqua honoris ſpecies locum habet. (1) 396.

§. 122. Quando itaque *vir* videt pulchri-

tudinem virginis, in virginitate adhuc constitutæ, vel fœminæ sexu à se differentis, concipit amorem, quem declarat per oscula, amplexationes, petendo desponsationem & sponsalia, unde fit procus & deinde sponsus, illa sponsa. Per nuptias, quæ honorantur Epithalamiis, hæc à viro in thalami torique societatem recipitur, & tunc ille fit maritus, hæc uxor, dotem viro afferens. Ius inde quoddam conjugum in bona, illataque repeti possunt; succeduntque conjuges interdum sibi. Mulieres nonnunquam per vim rapiuntur. (3) 397.

§. 123. Conservatur conjugium per *verecundiam*, pudicitiam, castitatem. Adversus ei Eunuchorum status, cœlibatus, viduitas, polygamia, zelotypia, dissolutio conjugii, divortium, datio libelli repudii, adulterium, impudicitia, impudentia, obscœnitas sive obscœna, vagæ libidines, amores meretricum, scortatio, stuprum, de quo nascuntur spurii, qui tamen legitimari possunt; incestus. (3) 400.

§. 124. *Conjugium fœcundum* sterili oppositum reddit nos parentes, patrem habentem patriam potestatem, matrem, avum, vitri-

vitricum, habentem privignos, novercam. Profert hoc ope puerperarum liberos, vel patriſſantes vel degenerantes, filios & filias, qui inter ſe ſunt fratres & ſorores. Primogenitus, qui ante reliquos liberos, poſthumus eſt, qui poſt patris obitum naſcitur. Majores relinquunt poſteros ſive poſteritatem. Liberi habent ſua peculia. Quando non ſuperſunt liberi, orbitas evenit. Præter generatos filios habemus etiam adoptatos. (3) 403.

§. 125. Eſt in parentibus quædam φιλοστοργία, qua liberos agnoſcunt, lactant, iis nutrices adjungunt, educant indulgentque aliquantulum; pro quibus beneficiis ipſis debetur pietas. Orphanis à magiſtratu conſtituuntur tutores, tutelam, & curatores, curam gerentes. Minoribus datur reſtitutio in integrum. (3) 406.

§. 126. Conjugium facit *affinitates*, ut quis ſit gener, ſocer, ſocrus, nurus, levir: & conſangvinitatem ſive cognationem & agnationem, ut quis ſit patruus, avunculus, amita. (2) 409.

§. 127. Conjuges & liberi conſtituunt ſocietatem domeſticam & *familiam*, ob cujus uſum

Digitized by Google

uſum eſt quædam ſocietatis ſpecies, quam facit dominus ſive herus, & ſervus ſive ancilla. Hi non ſunt in libertate. Eundem in uſum adhibet pater familias quoque mercenarios. (3) 411.

§. 128. Eſt & ſocietas eorum, qui non unam domum inhabitant, & ſe invicem amant vel ob virtutem, & vocatur *amicitia* & familiaritas, quam nobiſcum non colunt adverſarii, inimici, hoſtes. (2) 414.

§. 129. Vel amant ſe ob habitationem continuam, ut *vicini*, vel ob communem patriam, ut populares, vel ob communem vitam, ut hoſpites, erga quos hoſpitales nos præbemus, vel ob Chriſtianismum, & ſic unusquisque eſt proximus noſter. (3) 416.

§. 130. Videamus porro, quid honorem ſequatur. Eſt illud *bona exiſtimatio*, bona fama. Honoratos laudamus, elogiis & panegyricis celebramus, reveremur, iis auctoritatem tribuimus & tantum non adoramus. Exinde eſt gloria & claritas, quæ inclareſcunt & ſunt viri celebres; quæ etiam poſt mortem propagatur, & fit mortuorum honor, qui illis exhibetur per honeſtam ſepulturam, funus, exſequias, in quibus habentur

Digitized by Google

bentur parentationes, ſtatuas, monumenta, ſepulchra, Mauſolea, epitaphia. (3) 419.

§. 131. Honores moderatur *ſtudium bonæ famæ*, ſtudium immortalitatis, magnanimitas, modeſtia, extenuatio, contemtus honoris, humilitas. Nimium eos averſatur puſillanimitas. Honores nimios affectat ambitio, ſuperbia, arrogantia, gloriatio, jactantia, oſtentatio. (3) 422.

§. 132. Honore carent homines *viles*, leves & infames, quos contemnimus, irridemus, quibus illudimus, quos exagitamus, ſubſannamus, in quos ſcommata conjicimus, quos ignominia afficimus, calumniamur, conviciis atque contumeliis proſcindimus, per famoſos libellos ſive paſquillos distrahimus; quo pertinet rei ſiniſtra interpretatio. (3) 425.

§. 133. Tertium genus bonorum conſtituunt *voluptates*, quæ tanquam bonum jucundum nobis ſeſe ſiſtunt, & habent quandam delectationem & recreationem abſtergentem moleſtias (4) 428.

§. 134. Quando nos urget *fames*, & jejunavimus per tempus, aut quando ſitimus, neceſſarium eſt nutrimentum, annona, victus,

ctus, cibus quem manducemus & edamus. Animalibus etiam debetur ſuum pabulum. Hiſce rebus præeſt Oeconomia. (2) 432.

§. 135. Cibi autem varii. Ex farina, fit *panis* fermento addito, aut placenta. Plantæ ſuppeditant olera, aromata, oleum, poma: Animalia viva, ova, lac, mel, caſeos; mactata carnem, quæ vel ſuper focum coquitur in olla, aheno, crate, vel aſſatur in veru, quæ eſt ſupellex culinaria. (3) 434.

§. 136. Hi cibi tandem ad *menſam* in caniſtris apportantur, fercula in catinis apponuntur, ex quibus cochlearibus & cultris aliquid depromitur. Hæc ſupellex menſaria. De cibo comeſo ſuperſunt fragmenta (1) 437.

§. 137. *Potus* bibitur & abſorbetur. Conſiſtit in ſuccis vino, cereviſia, aceto. Conditur in doliis, utribus, lagenis: ſumitur ex urceo, vitro, poculo, calice (3) 438.

§. 138. *Sumimus cibum* prandentes, cœnantes, convivia celebrantes, ad quæ amicos invitamus. (2) 441.

§. 139. Edendum ad *ſatietatem*, ut tamen ſervemus bonam diætam, temperantiam, ſobrietatem, abſtinentiam, quam qui ſupergre-

greditur, est intemperans, epulo, vorax, ebriosus, crapula laborans, luxui sive luxuriæ operam dans. (5) 443.

§. 140. Ad animum recreandum faciunt *spectacula*, comœdiæ in theatris propositæ, ignium accensiones, lætitia publica. Aures delectationem capiunt ex musica, quando vel hymni cantantur, vel instrumentis musicis canitur, qualia fides, citharæ, cymbala, tibiæ, buccinæ, organa. (4) 448.

§. 141. Corpus recreant *exercitia corporis*, ambulationes in locis amœnis, natationes, saltationes, choreæ, luctæ, digladiationes gladiatorum in palæstra. (4) 452.

§. 142. Otium nonnunquam affert molestias. Ut ergo *tempus* & otium *fallamus*, utimur lusu sive ludis, alea, tesseris, pila. (2) 456.

§. 143. Voluptas vult omnia esse culta & *elegantia*, conquirit ornamenta, servatque munditiem & puritatem. Proinde sordes & pollutiones lavamus in balneis smegmate; post nos abstergimus. (3) 458.

§. 144. Cum autem nascamur *nudi*, monet, ut nos tegamus, & induamur vestibus, habitu & ornatu. Sunt hæ lineæ, laneæ, e

Digitized by Google

panno, byſſinæ, holoſericæ, purpureæ. (3) 461.

§. 145. Nomina veſtium: pileus, capillamentum (paruquen) pallium, tunica, trabea, maſtruca, marſupium, calceus. Sertum, torques, annulus, cingulum, balteus. (2) 464.

§. 146. Commodè *habitaturis* de apto quoque ædificio, domo ſive palatio proſpiciendum, quod conſtat tecto, trabibus, columnis, parietibus, feneſtris, janua, in qua cardo; fundamento. (3) 466.

§. 147. Porro conſtat *areâ*, veſtibulo, porticibus, conclavibus, cœnaculo, ubi aulæa, ſellæ, ſcamna, fornax; cubiculo, ubi lecti, cunæ; cellis, horreis, torcularibus, ſtabulis, præſepibus, fimeto, latrina. (3) 469.

§. 148. *Supellex domeſtica:* Scalæ, funes, currus propter rotas ductiles. Quæ latere volumus, condimus, occultamus, reponimus & ſervamus in arca. Seram clavibus reſeramus, ut, quæ clauſa ſunt, aperiamus. (3) 472.

§. 149. Conſideratis jam bonis, etiam *mala* conſideranda nobis ſeſe quaſi obtrudunt. Malum eſt ex abſentia boni. Quotuplicia igitur

igitur bona, tam diversa etiam mala. Malum hac ratione affert absentia divitiarum, honoris & voluptatis. Malis premimur, quando morbis aut bellis inquietamur. Mala quoque vitia intellectus & voluntatis, indeque orta peccata, quia filia matrem corruptam sequitur. Quædam tamen horum malorum jam supra considerata fuerunt. (2) 475.

§. 150. *Mala fortunæ* dicuntur fortuna adversa, infelicitas, nubila, calamitas, miseria, ærumna. Consistunt in boni privatione, ut indigentia, paupertas, mendicitas, pernicies, nociva, nocumentum, damnum, pauperies ab animali data, exilium. Ad calamitates publicas pertinent incendia, aquarum irruptiones, terræ motus, sterilitas, fames & inedia, morbi contagiosi, mala bellica. (3) 477.

§. 151. Vel vocibus efferuntur, quæ indicant mali præsentiam, quando homines nobis *minantur*, insidiantur, nos persequuntur, incidimus in pericula, contra inviolabilitatem hominum agunt, vim inferunt, injuria atque molestia afficiunt, lædunt, affligunt, cruciant, percutiunt, vulnerant, op-

Digitized by Google

primunt. Tunc patimur, martyrium ſubimus. (4) 480.

§. 152. Mala corpori noſtro contingentia ſunt *morbi* & morbilli. Exiſtunt hi vel in exterioribus corporis partibus, ut tumores, ulcera, ſcabies excitans pruritum, puſtulæ, varioli, lepra, eryſipelas, vulnera, quæ obliganda & patiuntur inflammationes, generant gangrænam, relinquunt cicatrices: rupturæ & luxationes membrorum, fracturæ, vitia corporis, læſiones motus, quando quis eſt claudus, & læſiones ſenſuum. (3) 484.

§. 153. Corpus interius ferunt *Bulimia*, pica, ἀνορεξία, ἀπεψία, obſtructiones, fluxiones, diarrhœa: angina, morbus hypochondriacus, podagra, ſcorbutum, palpitatio, convulſio, febris, hectica, cholera, icterus, tympanites, hydrops, phtiſis, tabes, lethargus, deliquium animi, epilepſia, apoplexia, peſtis, venenum. Morbi animi, delirium & ſtatus, in quo dæmoniaci. (2) 487.

§. 154. Afferunt morbi *infirmitatem*, debilitatem, dolores, quibus ut valetudinarii ſe liberent, advocant pharmacopolas, chirurgos, medicos, mulomedicos, qui præſcribunt

bunt ungventa, remedia ſarcotica, phænigmos ſive veſicantia, ſalivantia, emollientia, aperientia, errhina, vomitoria ſive emetica, ſudorifera ſive diaphoretica, venæ ſectiones, expectorantia, diuretica, purgantia ſive cathartica, narcotica, anodyna, alexipharmaca. Hi quærunt etiam panaceam, lapidem philoſophicum, ut ſic ſanitatem & integram valetudinem homini vel conſervent vel reſtituant. (2) 489.

§. 155. Corpori non ſolum ſed etiam bonis inimicum *bellum* ſive militia, orta ex diſſenſione animorum, quæ efficit conſpirationes, ſeditiones, rebelliones, tumultus. Gerunt bellum adverſus nos hoſtes, cum quibus non habent commercium neutrales. (5) 491.

§. 156. Bellaturi comparant *milites*, equites & pedites ſive exercitus equeſtres & pedeſtres. His præficiunt imperatores & duces belli, centuriones, ſigniferos vexilla portantes, qui collocant eos in caſtris, inſtruunt armis, galea, thorace, clypeo ſive ſcuto, gladiis, haſta, ſagittis pharetra condendis, bombardis & tormentis bellicis, porriguntque iis

ſtipendia. Ad bellum navale gerendum comparantur claſſes. (4) 496.

§. 157. Cum militibus *diripiunt*, prædas agunt, ſpolia congerunt, captivos quosdam abducunt, vaſtant agros, omniaque evertunt. Obſident urbes, quas tandem vi expugnant aut deditione occupant, receptasque ab hoſtibus jure poſtliminii ſibi aſſerunt & habent; vel pugnas aut prœlia committunt. (3) 500.

§. 158. Adminiſtrat hæc omnia *ſcientia rei militaris*, diſciplina militaris & fortitudo bellica, qua præditi Heroes appellantur, quæque jubet vigilias ſive excubias agere, exploratores emittit, inſidias & ſtratagemata apparat, Imperatores interdum colloquuntur: juvatur miſſis ſuppetiis, transfugis atque proditione. (3) 503.

§. 159. Exitus prœliorum vel *victoria* & ſequens triumphus exſtructioque trophæorum, vel clades, ſtrages & turpis fuga. Sic bellum redit ad inducias vel pacem, quam amant pacifici, & ex qua ſecuritas. (3) 506.

§. 160. Movent hæc mala *abominationem*, terrorem, ut contremiſcamus, ſuſpicionem, formidinem, metum, timorem, qui reperitur

tur in timidis, cautelam & evitationem. Præsente malo tædet nos ejus, sumus molles, tristes, dolemus, angimur, edimus luctum, gemitus, fletum, lacrymas, querimur, murmuramus, desperamus. (4) 509.

§. 161. Interdum sumus *tolerantes*, æquanimes, patientia instructi, non impatientiæ dediti, fortes, audaces, temerarii (3) 513.

§. 162. Haud raro *confugimus ad alios*, apud quos miseriæ nostræ excitant condolentiam, miserationem & misericordiam, ut nos non relinquant, perfugium ac solatium præstent, consolentur, adsint nobis, opitulentur, auxilium atque opem ferant, defendant: redimant sive λύτρον (ranzion) pro nobis solvant, liberent, salvent ac in posterum custodiant. (4) 516.

§. 163. *Malum culpæ* est, quando turpe quid agimus, committimus vitia, peccata, delicta, crimina, scelera, mala alteri inferimus, scandala damus. Procedunt hæc ex petulantia, lascivia, malitia, habitu vitiorum. (3) 520.

§. 164. *Offendunt* bonos, & iram odiumque ipsorum provocant. Causa defertur in foro competente ad judicem, tribunali

insidentem, cui competit jurisdictio; vel ad commissarios, arbitros. Sceleratos inde evadit reus, indicitur vadimonium, instituitur judicium, quod dilationem nonnunquam exigit; & processus judicialis celebratur, qui aliquando est possessorius, concursus & arresti, in absentes, desertionis, summarius, provocatorius, executivus, criminalis; quique fieri debet absque prosopolepsia secundum justitiam, quam moderatur jurisprudentia, judicans vel secundum jus Canonicum, vel Romanum, vel feudale Longobardicum, vel non scriptum sive consvetudinem (3) 523.

§. 165. *Accusator* actionem instituit, quæ aliquando confessoria vel negatoria, Publiciana, emti & venditi, condictio ob turpem causam, condictio indebiti, actio hæreditaria, Pauliana. Accusator porro gvarandam & satisdationem pro reconventione & expensis præstare debet; ad demonstrandum, delictum esse factum, utitur certis modis probandi, adhibet testes. Reus citatur ad certum terminum; qui, si contradicit actori, fit litis contestatio; qui & aliquando illum per reconventionem de alia causa habili com-

pellat,

pellat, aut per litis denunciationem is, cui evictio imminet, autori, defensionis aut regressus sui causâ, litem denunciat, aut per interventionem tertius circa alienam litem jus suum allegat, aut per reassumtionem litis hæredes continuandum processum declarant, sententia judicis confirmatâ. Fit aliquando voluntaria rei in judicio agendæ omissio, quæ dicitur contumacia. Maleficus examinatur, quandoque per torturam sive quæstiones tormentarias; quærit mediatores, defendit se per Iureconsultos, qui dant responsa, & advocatos, quorum cliens est; per exceptionem & libellos supplices. Aliquando restituitur in integrum, vel fugit, & hunc delinquens non receptandus. (3) 526.

§. 166. Quando autem *confessus est*, res transmittitur ad collegium juridicum, & tunc sententiâ judicis controversia decidi-tur; cujus sententiæ emendatio per leuterationem interdum ab eodem judice petitur, vel ab inferiori judice ad superiorem fit appellatio. Contra reum condemnatum executio instituitur, qui damnatur ad castigationem, pœnam & supplicium, ut sic ultio,

ultio, vindicta & talio de ſcelere ſumatur (2) 529.

§. 167. Utimur in puniendo *increpatione*, reprehenſione, ut tamen non ſimus momi vel zoili, correptione, correctione, objurgatione, exprobratione, multa, catenis & compedibus, carcere, cuſtodia & captivitate, ergaſtulo; cruciatu, verberibus, proſcriptione, publicatione bonorum. Vel ſceleratus à carnifice contumelioſa morte afficitur, ſubmergitur, ſuſpenditur, lapidatur, decollatur, comburitur. (4) 531.

§. 168. In pœnis ſpectatur *ſeveritas*, zelus, crudelitas. (1) 535.

§. 169. Quem autem delicti *pudet*, pœnitet, qui innocens eſt, deprecatur, excuſat, emendationem promittit, ad aſyla confugit, ei indulgemus, ignoſcimus, condonamus, parcimus, remittimus, impunè abit: ei nos lenes, clementes, manſvetos & placabiles exhibemus, eique reconciliamur (5) 536.

PARS

PARS SECUNDA TITULORUM
exhibet
Theſes Titulorum Theologicorum.

§. 1.

IN *Theologia* conſideratio noſtra à Deo incipiat, qui eſt Spiritus à ſe ipſo exiſtens, in eſſentia unus, in Perſonis Trinus, Pater, Filius & Spiritus S. competunt ei attributa, eſt infinitus, æternus, immortalis. (6) 541.

§. 2. Summe *beatus*, quam beatitudinem communicat per benignitatem ſuam. Ex ea profecta omnia opera ejus ad extra, interdum certæ Perſonæ appropriata, quæ per omnipotentiam patrantur ſignificatam per halitum, digitum, brachium Dei (3) 547.

§. 3. *Creat mundum* & res eo contentas, quarum egregius ordo, & ſunt in uſum hominum. Ipſe tamen magnus ſuper omnes creaturas. (3) 550.

§. 4. Eſt *omnipræſens* & omniſcius, habet oculos late diſpicientes, faciem cuncta intuentem. (3) 553.

§. 5. *Delectatur in operibus ſuis*, curat ea, præſcit omnia & providet rebus, non tamen per fatum. Decernit multa de rebus. Su-

ſten-

Digitized by Google

ſtentat atque conſervat omnia, eaque gubernat ſumma cum majeſtate tanquam Rex in regno ſuo. (3) 556.

§. 6. Præcipue *amat homines*, format & ſervat eos in utero, multa exhibet beneficia, auget bona, promittit multa, in quo verax. (6) 559.

§. 7. Ex terra *facit progerminare fruges*, dat benignas tempeſtates, pacem, quietem, cuſtodit à malo per Angelos ſuos, quos revereri debemus. (3) 565.

§. 8. *Unicuique ſpecialiter ſua dona dat.* Vocat ad certum officium, cumulat bonis animi & corporis, dat ſanitatem, ſapientiam, gubernat cogitata. (3) 568.

§. 9. *Adjuvat homines* infinita ſua potentia benedicit iis, largitur ſucceſſum, lætificat, exaudit, ad ordinem naturæ non alligatus ſed facit miracula. (3) 571.

§. 10. Magna illa *dona non oſtendunt Chriſtianum*, iis recte utendum, non abutendum: culpa noſtra inutilia fiunt. Vitam certis metis determinat. (2) 574.

§. 11. Condidit Deus hominem ad vitam æternam *in ſtatu integritatis* artificioſiſſime & ſapientiſſime, ita ut ſit nobiliſſima creatura.

tura. Dedit ipſi animam rationalem, addidit imaginem ſuam, ut eſſet ſapiens, bonus, ſanctus, nunquam fuit in ſtatu purorum naturalium, collocavit eum in paradiſo. (3) 576.

§. 12. *Adam* autem *lapſus eſt* & contraxit peccatum originis, in quo naſcimur. Per peccatum homo valde corruptus & depravatus eſt, factus ſervus peccati. Hic eſt ſtatus peccati. (3) 579.

§. 13. *Inſcius rerum magnarum*, ratio ejus cœca, nullas habet vires in rebus divinis, magna ejus infirmitas, facilis lapſus in errores. (3) 582.

§. 14. *Recedit à Deo*, via lata incedit, totus eſt caro, cogitationes malæ dominantur in ipſo, concupiſcentia & cupiditates irritant eum ad actiones malas externas, ubi conſideranda generatio peccati. (3) 585.

§. 15. *Sequitur delectationes mundi*, carnis, & oculorum, amat ſeipſum, qui amor præfert hominem Deo, amat honorem proprium, mundum, creaturas, eſt hypocrita. Maximum peccatum eſt illud in Spiritum S. (3) 588.

§. 16. *Undique peccatorum convincitur*, pecca-

Digitized by Google

peccamus in juventute, labimur quotidie, participamus de alienis peccatis (2) 591.

§. 17. *Tentat* nos *ad peccandum Diabolus*, mundus peſſimus, caro; Chriſti gratioſus adventus ad peccandum trahitur. (2) 593.

§. 18. *In peccando hominem retinent teneritudo animi*, pigritia, conſvetudo, ſecuritas, obduratio, pertinacia, neglectio Dei & deſertio, excœcatio. (3) 595.

§. 19. Hinc *reatum* contrahit, magna eſt turpitudo magnumque periculum operum carnis, impediunt progreſſum Chriſtianiſmi, dant ſcandala. (2) 598.

§. 20. *Offendunt Deum*, qui hoſtis peccati, iraſcitur ei, punit peccata. (2) 600.

§. 21. *Maxima* inde *miſeria* in hac lacrymarum valle, maledictio divina, mundi vanitas, curarum & laborum multitudo, fortunæ inconſtantia, præſentis vitæ fugacitas, deſperatio, infelix impiorum exitus. (2) 602

§. 22. Inde etiam *mors*, noviſſimum hominis. Hæc interdum intempeſtiva, præmatura & ſubita ſive ſubitanea, violenta & tragica, multaque ejus genera atque caſus: quam propterea meditari, conſiderare, & ad eam nos præparare, imo non timere, contemne-

Digitized by Google

temnere, desiderare, & haud inviti ad eam ire debemus. (4) 604.

§. 23. Multa sunt *solatia contra eam* & maxime moribundis in agone mortis, quorum etiam verba singularia observantur. Post mortem homo sepeliendus. Mortem sequitur status animæ separatæ. Non est transmigratio animarum. (2) 608.

§. 24. *Sub finem seculorum tempora erunt pessima*, florebit regnum Anti Christi, tandem omnes creaturæ interibunt, & consummatio seculi sequetur. (3) 610.

§. 25. *Resurgent* dein *homines* die novissimo & comparebunt coram judicio, ad quod & Christus veniet, instituens processum judicialem; libros aperiet, rationem exiget, secundum justitiam retribuet. Ad hoc nos parare debemus. (5) 613.

§. 26. *Reprobi* ob incredulitatem *conjicientur in infernum* sive gehennam, ubi pœnæ gravitas & æternitas, ad quem quotidie descendendum. Non datur purgatorium. (4) 618.

§. 27. His *peccantibus Deus* tamen *exhibet gratiam* suam, est patiens, clemens, misericors, amat pios, nec est tyrannus. Exhi-

Digitized by Google

bet ſe ut ſummum Bonum, ſummum amorem & pulchritudinem. (3) 622.

§. 28. *Eligit aliquos* ac prædeſtinat non abſoluto decreto ad vitam æternam, regnum gloriæ, cœnam agni, cœlum. (5) 625.

§. 29. Hos *glorificat*, coronat; erit ibi inenarrabilis gloria & lætitia, viſio Dei & Angelorum aſſociatio (3) 630.

§. 30. Sequetur hoc *beatum vitæ exitum*. Cura igitur ſalutis habenda, omnibusque votis expetendum, ut ad illam perveniamus. In cœlum quotidie aſcendendum (2) 633.

§. 31. *Vocavit ad* eam *beatitudinem gentes*, felices, quod converſi ex paganiſmo. quidam etiam ex recentiori Iudaismo convertuntur. Vocat quoque nos, & ſic ſalutem noſtram promovet. (2) 635.

§. 32. Fit vocatio per *verbum Dei*, quod olim quidem per apparitiones & allocutiones, manifeſtatum, hodie per revelationem in ſcriptura ſacra ſive bibliis propoſitum extat, cujus merito inſignis auctoritas, cuique traditiones & conſenſus Patrum non æquiparandi. (4) 637.

§. 33. *In ea revelavit ſe & voluntatem ſuam* ſanctiſſimam, doctrinam & mandata Chri-

Digitized by Google

Christi, veramque religionem, cujus servanda puritas. (3) 641.

§. 34. *Proponit* hæc *religio pacta hominum cum Deo* in V. & N. Testamentis, legem & Evangelium, pandens multa mysteria, ubi ratio captivanda. (5) 644.

§. 35. Traditur hæc doctrina in *Catechismo*, Symbolis, Apostolico, Augustana confessione, Formula concordiæ. (1) 649.

§. 36. *Scripturam Doctores debent interpretari* juxta analogiam fidei, & prædicando sive conciones habendo textus quosdam explicare in cœtibus sacris (3) 650.

§. 37. Apud auditores requiritur *studium verbi divini*, frequentatio templorum, auditio attenta, lectio, crebra interrogatio, vitæ juxta illud institutio, ut non vivamus secundum bonas nostras intentiones (3) 653.

§. 38. *Cauti & firmi esse debemus in religione*, parati ad defensionem fidei & confessionem publicam. (2) 656.

§. 39. Per susceptionem verbi *separamur ab infidelibus*, & evadimus Christiani, qui vel Lutherani, Reformati, Pontificii, Græci. Non enim in omni religione salvamur. Non salvantur Athei, Ethnici sive gentiles, idolo-

Digitized by Google

latriæ dediti ſive colentes idola, Iovem, Herculem, Bacchum: Iudæi Talmudi innixi, Mohammedani, Naturaliſtæ ſolum lumen rationis ſequentes. Cavendum etiam ab hæreſi & dogmatibus heterodoxis, fanaticorumque grege. A fide deſciſcunt Apoſtatæ. (4) 658.

§. 40. *Dedit* etiam *Deus Sacramenta*, in V. T. circumciſionem, quæ præfigurabat ſpiritualem circumciſionem, & agnum paſchalem. (3) 662.

§. 41. In N. T. *Baptiſmus* eſt, in quo fœdus initur, cui adſiſtunt compatres ſive ſuſceptores, cujusque crebra debet eſſe recordatio. Euchariſtia ſive cœna Domini, ad quam opus præparatione & ſcrutatione cordis: item devota meditatione durante ſynaxi & poſt eam, ne indigne de menſa Dei participemus (5) 665.

§. 42. Verbum & Sacramenta proponuntur in *eccleſia*, in cœtu & gente Dei, ubi communio cœleſtium bonorum, cujusque magna dignitas; quæ tamen, quatenus in ſocietate civili occurrit ac res ſuas poſſidet, ut ſocietas politica ſpectari poteſt, cujusque conſervationi opera impendenda (3) 670.

§. 43.

Digitized by Google

§. 43. *Membra eccleſiæ* ſunt ſancti viventes, (Mortui ſunt membra triumphantis eccleſiæ) laici & clerici. Sunt ibi tres ſtatus (2) 673.

§. 44. *Miniſterium verbi* olim adminiſtrarunt Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, Levitæ, Apoſtoli, Patres, Epiſcopi, Pontifex, Clerus Papalis, Monachi. (4) 675.

§. 45. *Miniſtri eccleſiæ Lutheranæ* ſunt Superintendentes, Doctores, concionatores, habent interdum adjunctos & adjutores. Conſeſſus eorum eſt ſenatus eccleſiaſticus, ad conſiſtoria habenda conveniens. Miniſtri in ſtatu Eccleſiæ, Paſtore deſtitutæ, ad parochiam & parochianos impetrandos per eos, qui jus Patronatus habent, præſentandi, vocandi, ordinandi, his manus imponendæ. Munus eccleſiaſticum emtione comparans Simonia ſe polluit. (2) 679.

§. 46. *Officium Paſtorum:* ſint fideles, curent pauperes, obſervent liturgiam, viſitent curæ ſuæ commiſſos; in delictis Eccleſiaſticis adhibeant diſciplinam eccleſiaſticam, exerceant cenſuram, excommunicent, anathematizent, habeant concilia. (3) 681.

§. 47. *In ſcholis Præceptores diſcipulos e-*

Digitized by Google

rudiunt. Reliqui ſtatus magiſtratus, & in ſtatu œconomico degentes. (2) 684.

§. 48. *Auditores reverentiam exhibeant Paſtoribus*, dent aliquid, ut olim primitias, decimas. (3) 686.

§. 49. Sacra adminiſtrantur in *locis ſacris* nulli profanandis. Iudæi habuerunt tabernaculum, adyta, arcam fœderis: apud nos ſunt templa, quæ inaugurantur, cœnobia, campanæ, aræ, calices, ſubſellia; aſſervantur etiam alicubi reliquiæ. (3) 689.

§. 50. Obſervantur in eccleſia *ceremoniæ*, ut inter Iudæos ſacrificia feſta, ſcilicet Paſchatos, Pentecoſtes, Tabernaculorum, Encænia, Jubilæa, a quibus diſtingvuntur feſta Gentilium & Chriſtianorum, ad quæ referendus Dies Dominicus. Ad ceremonias, quæ ſunt interdum adiaphora, pertinent proceſſiones. (3) 692.

§. 51. *Eccleſia* hæc *eſt vera*, indiget reformatione, quando oriuntur abuſus. (2) 695.

§. 52. *Deus eam conſervat*, dat incrementa, excitat fautores, concedit pacem eccleſiaſticam, defendit eccleſiam. (2) 697.

§. 53. Nonnunquam *perſecutionibus* ſubjicitur, ut multi fiant martyres. Tunc edendæ Apologiæ (4) 699. §. 54.

Digitized by Google

§. 54. *Donat Deus* noſtri cauſa *Chriſtum*, de quo multæ in V. T. promiſſiones, qui debuit eſſe homo & Deus, verbum Dei, α & ω. (3) 703.

§. 55. Hic *amavit nos*, incarnatus eſt, naturæ perſonaliter unitæ, communicatio idiomatum facta, in humilem ſtatum ſe detruſit, conceptus, natus. Nomen Ieſu in circumciſione ipſi datum, venerunt ad eum Magi. (4) 706.

§. 56. *Egit, quæ homines agere decuit*, fuit humillimus, mitiſſimus, patientiſſimus, exemplum præbuit hominibus, fuit Propheta, poſitus in ſignum contradictionis, rejectus a Iudæis atque contemtus, triſtitia & doloribus affectus. Paſſus, quæ homines pati oportuit, vulneratus, ſangvinem fudit, deductus ad Calvariam, crucifixus, mortuus & ſepultus. In patiente Chriſto videmus peccata noſtra, Dei iram, juſtitiam, amorem. (6) 710.

§. 57. Sic *multa beneficia nobis exhibuit*. Perfectam enim præſtitit obedientiam, eſt noſter Sacerdos, mediator, meritum ejus magnum, ſatisfecit pro nobis, redemit nos. (3) 716.

§. 58. *Emundat nos a peccatis*, eſt medici-

na ſpiritualis, per eum aditus ad Patrem, pii Chriſto connexi. Venit enim, ut ſalvaret homines, eſt fons & liber vitæ. In paſſione ergo ejus lætandum. (2) 719.

§. 59. Hinc ſequitur *ſtatus majeſtatis*, in quo deſcendit ad infernum, reſurrexit, adſcendit, ſedet ad dextram Dei Patris, fruitur gloria cœleſti, adminiſtrat regnum ſuum, pro nobis intercedit (3) 721.

§. 60. *Homines lapſi cum Deo reconciliandi* & ad vitam æternam renovandi. Multa ſunt, quæ nos ad Deum trahunt, & converſionem noſtram promovent. (2) 724.

§. 61. *Deus hominem ducit*, cujus magnus zelus in convertendis hominibus. Homo nihil confert ad converſionem ſuam tranſitivè ſumtam, imo habet repugnantiam. Largitur itaque gratiam & Spiritum S. dat novas vires, regenerat, converſionem expectat ; tempus tamen gratiæ agnoſcendum, actus pædagogici exercendi, nec pœnitentia differenda. (3) 726.

§. 62. Sic *homo à malo recedit*, agit pœnitentiam, reſurgit ſpiritualiter, dum reſipiſcit, ſe probat, peccata agnoſcit, eorum pudore ducitur, de iis dolet, triſtatur, lachry-

chrymat, contritionem ſentit, confitetur, ſæpe per confeſſionem auricularem.(4)729

§. 63. Tunc *accedit ad Chriſtum*, fidem in eum habet, quæ licet debilis, non conſiſtit tamen in ſola opinione vel oris confeſſione, ſed in ſufficiente agnitione rerum credendarum, conſtanti aſſenſu & fiducia; ſolatia Evangelii ad ſe trahit, peccata fiducialiter deprecatur, infidelitatem fugit. (4)733.

§. 64. Deus dedit *poteſtatem clavium*, per quam, non tamen per indulgentias, abſolvunt homines in terra: ipſe remittit peccata. Sic homo juſtificatur. (3)737.

§. 65. Cum converſione ſtatim conjuncta eſt *Renovatio*, ſanctificatio & quotidiana pœnitentia. Hæc eſt verus Chriſtianismus, virtus, pietas, probitas, pia vita, Bona Opera, quando Deo & Chriſto vivimus, in exercitio bonorum operum ſtamus, religioſi ſumus, peccata fugimus, impietatem & improbitatem evitamus: inde comparatio piorum & impiorum. (3)740.

§. 66. *Præcipiuntur Bona Opera à voluntate Dei in Decalogo propoſita*, unde oritur obedientia Deo debita, officium hominis; quod vita Chriſtiana ſervitus. Modus juxta

quem eſt imitatio vitæ Chriſti, qui via & finis vitæ ſanctæ. (3)743.

§. 67. *Inſtigant nos* præterea *conſcientia*, Chriſtus internè monens homines per allocutionem, ratio exigenda, ubi Deus non habebit proſopolepſiam ſive reſpectum perſonarum. Per vitam Chriſtiano homini minus convenienter actam Chriſtus abnegatur. (3)746.

§. 68. Iam oritur *propoſitum bene agendi*, ſequuntur fructus pœnitentiæ, exercitium fidei, ex quo hominis ſanctitas. (2)749.

§. 69. Conſideranda hic *potentia Chriſtianorum*, adjuvat Spiritus S. ſanctificans, ex corde procedere debent & ſinceritate absque hypocriſi. (3)751.

§. 70. Debent fieri in *prudentia*, ſapientia, docilitate Chriſtiana, zelo divino, tempus rite obſervandum, in vera humiliatione, pauperie, deſperatione de nobis ipſis, fugiendo ſuperbiam ſpiritualem & Deo honorem relinquendo. Quotidie in iis proficiendum, vigilandum & ſecuritas fugienda. (3)754.

§. 71. In homine præterea requiritur *cognitio ſui ipſius* & conſideratio, ſtatus ſui, exa-

Digitized by Google

examen ſui; divertendum in ſe ipſum, meditatio ſit ſpiritualis, cogitationes rectè gubernentur, geſtibus & membris rectè utendum (3) 757.

§. 72. Et quia *peccatum adhuc in carne noſtra*, quæ nos tentat, unde pugna carnis & ſpiritus, virtutis & vitii, committimusque peccata infirmitatis: propterea vetus homo mortificandus, domandus, continendus. Debemus nos abnegare. Quædam peccata piorum ſunt venialia. (3) 760.

§. 73. *Non ſunt bona opera moleſta* & difficilia, placent Deo, differunt ab operibus Ethnicorum, non ſunt perfecta, opera ſupererogationis præſtare nemo poteſt. (2) 763.

§. 74. Homo regenitus in fide & Bonis operibus incedens eſt *nova creatura*, novus homo, qui antea vetus erat: ex iis agnoſcitur Chriſtianus. Oritur inde bona conſcientia, cujus oppoſitum pavores conſcientiæ. (2) 765.

§. 75. *Deo honor & cultus exhibendus*, cui adverſatur ſuperſtitio, idololatria, ſanctorum invocatio. (3) 767.

§. 76. *Deus* ſolus *amandus*, in eum ſperandum, fidendum, quia refugium certiſſimum

Ti-

Digitized by Google

Timendus nec tentandus, abſit contemtus Dei. (4) 770.

§. 77. *Nomen ejus ſanctificandum.* Fit hoc laude Dei, gratiarum actione, oratione ſive precibus, quæ colloquium animæ cum Deo, ſacrificia Chriſtianorum. Sunt precatio Dominica, Litania. In his requiritur devotio, precum conjunctio. (3) 774.

§. 78. Sanctificatio porro fit per *confeſſionem veritatis*, vota & juramenta. Ei adverſatur blasphemia, magia. Religio publica exercetur in Sabbatho, in quo ſacra publica peraguntur. (3) 777.

§. 79. Chriſtiani ſibi invicem ad *mutua officia* obſtricti, proximus charitate proſequendus, non odio. Hoſtes etiam amandi. (3) 780.

§. 80. *Proximus* nobis *major*, *honorandus* ab inferiore: magiſtratus à ſubditis, dominus à ſervis, parentes à liberis. (3) 783.

§. 81. Erga omnes ſimus *humani*, benevoli, amiçitiam colentes. Favor tamen & amicitia mundana non nimis appetenda. Quando incidunt lites, ſeditio, bellum, paci & concordiæ ſtudendum, reconciliatio tentanda. (3) 786.

§. 82.

Digitized by Google

§. 82. In ira ſimus *manſveti*, longanimes. In injuriis offenſas debemus condonare, non vindicare, non eſſe crudeles, perſequi proximum, occidere. Proximus peccans corripiendus, emendandus, ædificandus, non ſcandalis ad peccandum ſeducendus. (3) 789.

§. 83. *Abſtinere debemus à voluptatibus*, non ſectandum gaudium mundanum. Fugienda adulteria; & contra ſervanda caſtitas in virginitate, matrimonio, viduitate. (3) 792.

§. 84. *Cavendum ab ebrietate*, ut ſimus ſobrii, temperantes, jejunantes interdum. (2) 795.

§. 85. *Rebus terrenis legitime utendum*, in laboribus & negotiis ſimus diligentes, juſtitiam, æquitatem & candorem colentes, ſectemur parſimoniam, damna caveamus. (3) 797.

§. 86. *Contenti ſimus præſentibus*, terrena contemnenda, mundus vincendus, hæreditas noſtra non in mundo, ſumus peregrini. Nimia ſolicitudo ergo cavenda, ne ſimus avari, furantes, dona capientes, invidi. (3) 800.

§. 87. *In neceſſitatibus corporalibus proximo ſuccurrendum*, ſimus miſericordes, liberales, eleemoſynas dantes, pro quibus opus gratiarum actione (3) 803.

§. 88. *Honoris* etiam *& bonæ famæ ſtudium* aliquod conceditur, modo illud modeſtia moderetur. Itaque moderamen lingvæ adhibendum, dicenda vera, colloquia ſint pia, non dicendæ obtrectationes, calumniæ, mendacia: potius tacendum. (3) 806.

§. 89.

Digitized by Google

§. 89. Alias *honor & gloria mundana contemnenda*, fugienda ſuperbia. Omnis tandem concupiſcentia averſanda. (3) 809.

§. 90. Regeneratis & ſeſe renovantibus *imago Dei reſtituitur* & Satanæ aboletur; eſt homini pax cum Deo, in ſtatu gratiæ ponitur, eſt gratus Deo, qui amat eum, eſt pater credentium, nos adoptat, efficit filios Abrahæ, ſumus oves ejus. (3) 812.

§. 91. *Dat nobis ſeipſum*, unimur cum eo, nos inhabitat, cor noſtrum templum Dei. Inde ſpirituale conjugium & amicitia cum Deo. (3) 815.

§. 92. *Ornat nos beneficiis ſpiritualibus*, Spiritus S. ungit nos, illuminat, Deus lumen animæ, vivificamur, obſignat & reddit nos certos de ſalute. Noſtri Deus curam gerit, dirigit nos in viam rectam, dat benefactores & amicos, in bono cuſtodit, ut ſimus conſtantes. Dat hæreditatem vitæ æternæ. (3) 818.

§. 93. *Magna Sanctorum ſingularitas*, magna animæ perfectio, divitiæ, nobilitas, pulchritudo, magna gloria Chriſtianorum, habent theſaurum internum. (2) 821.

§. 94. *Habent ſenſum gratia* & percipiunt Summum Bonum in anima, lætantur in Deo & Ieſu, delectãtur & recreantur in eo, fruuntur vera quiete, celebrant ſabbathum ſpirituale, & ſolatium internum ſentiunt, habent vim ſcripturæ. (3) 823.

§. 95. Totos *ſe voluntati Dei tradunt*, & committunt, ſunt liberi & domini omnium, ſunt ſacerdotes, deſiderant res ſpirituales. (2) 826.

§. 96.

Digitized by Google

§. 96. Veri *Chriſtiani* tamen *afflicti &ærumnoſi ſæpe ſunt*, & in magna miſeria & cruce verſantur. Tentantur, in infernum ſpiritualem deſcendunt; hinc eorum triſtitia. (4) 828.

§. 97. *Calamitates*, quibus premuntur, ſunt interdum publicæ, ut tempeſtates, inundationes, annonæ caritas, bellum, peſtis. (3) 832.

§. 98. *Oppugnamur ab inimicis*, perſecutoribus, inſidiis Diabolicis, ſpectris. Diabolus in obſeſſis furit, & quosdam per aërem abducit. (3) 835.

§. 99. Miſeri ſumus ob *multitudinem laborum*, paupertatem, amiſſionem bonorum, exilium, pericula, morbos, mortem. Miſeria etiam in divitiis, honoribus. (2) 838.

§. 100. Tandem *tentamur de gratia Dei* & remiſſione peccatorum, contemtu piorum, felicitate impiorum, quidam absque cauſa anguntur. (3) 840.

§. 101. Ferendæ tentationes in *patientia Chriſtiana*, quam efficit Dei veritas; amore pœnæ, lætandum in calamitatibus. Chriſtiani ſunt milites: fortiter itaque Satanæ reſiſtant, vincant eum; preces fundant, ut Deus pœnas laxet. (4) 843.

§. 102. *Solatur* nos *in adverſis*, quod ſint jugum Chriſti, Deus immittat infortunia, qui in infligenda pœna etiam amat. Magna tentationum utilitas, crucis felicitas: tentationes Dei ad bonum, probatur ſpes. Interdum tamen ſunt pœnæ. (3) 847.

§. 103.

Digitized by Google

§. 103. *Solatur* præterea *præſentia Dei*, promtitudo ad nos juvandos, conſolandos, lætificandos. Ipſe fert auxilium, ex miſeriis eripit, liberat, licet interdum auxilium differat. In fine liberat per beatum exitum, quem ſequentur præmia. (3) 850

Cui ſeries Titulorum horum Theologicorum prolixior videtur, poterit titulos illos ad paucos ſequentes, ad Phraſes inprimis excerpendas utiles, revocare. Paginarum, quibus tituli deſtinantur, ſunt 170.

(1) Deus, cui titulo tribuantur paginæ 6. (2) creatio 4. (3) Angelus 5. (4) Status integritatis 2. (5) lapſus 6. (6) conſummatio ſeculi 2. (7) reſurrectio 3. (8) vita æterna 3. (9) infernus 3. (10) vocatio hominum 3. (11) Verbum Dei 5. (12) religiones 8. (13) Dii gentilium 6. (14) Eccleſia 4. (15) Sacerdotes 3. (16) templa 3. (17) Feſta 4. (18) Ceremoniæ 8. (19) Chriſtus 5. (20) Paſſio Chriſti 4. (21) Officia Chriſti 4. (22) ſtatus exaltationis 2. (23) converſio hominis 8. (24) nova creatura 1. (25) Donum Spiritus S. 6. (26) Fides in Chriſtum 6. (27) Pietas Chriſtianorum 8. (28) imitatio vitæ Chriſti 2. (29) humilitas Chriſtiana 2. (30) abnegatio ſui ipſius 4. (31) lucta carnis & ſpiritus 2. (32) amor Dei 6. (33) preces 6. (34) amor proximi 8. (35) ſtatus gratiæ 6. (36) crux Chriſtianorum 4. (37) tentationes 3. (38) conſolationes 5.

ADMI-

Digitized by Google

ADMINICULA SAPIENTIÆ ATQVE ELOQVENTIÆ,

Subjecta certis Propoſitionibus, juxta Locos Topicos & Titulos Philoſophicos & Theologicos, à Ioh. Frider. Hodanno in Arte Methodicè Excerpendi traditos, diſpoſitis.

NB. *Numerus Theſium adſcriptus Excerptis, indicat Theſin Titulorum, in qua Titulus, cui numerus adſcriptus eſt, aut, qui ſub EODEM numero deinceps ponuntur, contineatur.*

§. 2. NOMEN. Adjunct. *nomina interdum fatalia.* Polonia ſub Boleslao I. cœpit eſſe regnum; ſub ejusdem nominis Rege Boleslao II deſiit usque ad Premislaum. Singul. Polon. Chwalkowski p. 1. Paſſio: *mutatur ob incidentes calamitates.* Iano ſive Ioanni Druſio cognomentum fuit Drieſchius & Druſius, voce poſtmodum flexa paululum, propter pericula, quæ tum erant in Flandria. Abelus Curiander gener Druſii in vitæ operumque ejus delineatione. Conſeqv. *nomina interdum in contrarium valent, ſive indicant, nos rei adverſari, ex qua nomen trahimus.* Caſimirus I, Rixa

Digitized by Google

matre genitus, rixas domeſticas in regno feliciter compoſuit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 14.

§. 3. CURIOSITAS. Adjunctum: *quandoque eſt periculoſa.* Abſente Antonio Henrico Comite Schwartzburgi, Centurio quidam ſilvis præfectus in arce Sondershuſana idolo *Püſtrich*, quod aqua repletum atque ſuper ignem poſitum flammas ex ore & capite ejectare dicitur, ignes in culina aulica, poſtquam illud aqua implendum curaverat, ſubjecit. Flammæ autem prodeuntes ex idolo, arcem incenderunt, & ignis poſt multos adhibitos labores vix extinctus fuit. Behrens Hercyn. curioſ. p. 155. Idem Adjunct. *periculoſa.* Quando quis locum capit, ubi oculos ſuos rectâ oculis animalculi *Kuſchkuſch* in arbore ſedentis obvertere poteſt, illud tamdiu eum aſpicit, donec vertigine correptum de arbore decidat. Tappens itiner. p. 182.

§. 4. RISUS. *Subjectum, quod à riſu abſtinuit:* Lucas Weiſſelrot Epiſcopus Varmienſis nunquam, ut fertur, riſit: ſed tamen omnia ridentia ſive læta terræ Varmienſi præſtitit ac reliquit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 56.

§. 6. ERUDITIO. Officium in acqvirenda eruditione: *parentes filios, ad eruditionem ſibi comparandam feſtinantes, non impedire debent.* Wilhelmus Zeſchius, poſtquam in ſchola Beverſtadienſi in Ducatu Bremenſi ad duo-

Digitized by Google

duodecimum annum in pietatis capitibus & literatura vernacula informatus fuerat, addiscendæ mercaturæ parentum quidem consilio mancipari debuit: sed Deo aliter visum erat. Quamvis enim jam quatuordecim annorum puer nondum characteres linguæ Latinæ, multo minus legere Latina nosset, desiderio tamen literas & artes discendi maximo excitatus ad aliam, in qua lingua Latina doceretur, scholam se mitti instantissime petebat, &, patre, illorum temporum difficultatem sumtuumque penuriam causante, atque in proposito persistente, sua sponte ad Würdanorum scholam, in comitatu Delmenhorstano tum recens institutam, abibat, invitis quidem parentibus; sed qui interceſſione affinis *Wilhelmi Clodii*, Würdanorum Præfecti, inducti tandem consenserunt, ut ad annum scholæ prædictæ interesset. Quo anno Dei gratia, eos fecit progressus, ut, jactis Grammaticæ Latinæ fundamentis, non solum exercitia Latina expeditè absque vitiis conscriberet, sed Latiné etiam sine hæsitatione loqueretur, & inita cum commilitonibus concertatione de loco, palmam cunctis præriperet. Quo cognito parens suasu Consiliariorum Oldenburgicorum & Delmenhorstanorum, qui in habito examine scholastico ejus profectus insignes admirabundi exploraverant, sumtus ad continuandam studiorum telam necessarios haud invitus suppeditavit. Factus est tandem Ecclesiæ Wertheimensis

menſis Paſtor, & cæterarum per comitatum Wertheimenſem Superintendens: & poſtea Ienam ſe recepit, ibique docendo atque diſputando ſtudioſæ juventuti inſerviit. Deſignatus autem B. Joh. Muſæo ſucceſſor vitam cum morte commutavit. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 240. ſeqq. Eâdem Theſi. SAPIENTIA. Incitamentum ad ſapientiam colendam: *propter ſtudium ſapientiæ vivimus.* Ajunt, in Anglia magnum illum Raynoldum ex morbo fatali, quem nimia diligentia contraxerat, ægrum, à Philoſopho amico fuiſſe monitum: Præpoſteram eſſe operam, quæ neglecto corpore impendatur ſoli animo excolendo: neque decere, ſecundum Sapientum dicta, ſubſtantiam perdi propter accidentia; ibi tum Raynoldum eodem halitu regeſſiſſe: nec, propter vitam ut vivendi perderentur cauſæ, decere. Hennin. Laudat. Funebri, qua B. Brandio parentavit, annexa Itiner. Brand. p. 462. 463. SAPIENTIA ſive *ſapiens*. Conſeqv. *ſapiens exiſtimatur à ſapientibus.* Hac noſtra ætate vel in omnibus ſecuturis mundi ætatibus utiliſſimi hominum maximis ſemper obnoxii erunt calamitatibus. Nemo enim perſpicere poteſt ſapientem, niſi ſapiens, doctus. Boineburg. epiſt. ad Dieter. p. 285.

§. 7. ERROR. *Actiones erga erroribus addictos: arcentur ab officiis.* Nicolaus ab Ambsdorff Epiſcopus Numburgenſis, & Cizenſis

sis in locum Philippi Comitis Palatini à Johanne Friderico Electore (Julium Pflugium, quem collegium jam subrogaverat, pertinacia in veteri religione [cum aliqua tamen reformatione] retinendâ & per sophismata excusanda sibi odiosissimum, aversante) est electus, & præsentibus Electore atq; Jo. Ernesto fratribus ordinatq; à Luthero, simul manum imponentibus *Nicolao Medlero* Numburg. *Georg. Spalatino* Altenb. & *Wolffg. Steinio* Weissenf. Superintendentibus. Sed vix ulla Electoris actio acriori censuræ exposita est, quam hæc Ambsdorffii ad Episcopatum evectio. Zeumeri vitæ Profess. Theol. Jenensium p. 4. 5.

§. 8. STUDIA. Impedimentum: *cursum studiorum impedit, si nimis abjectè de nobis sentiamus.* Thomas Erpenius annos natus duodeviginti nimia sui ignoratione usque adeo diffidere sibi cœpit, ut neutiquam in animum inducere sustineret, eum se esse, qui ingenii sui navigio feliciter transmittere posset vastum illum tot linguarum & scientiarum Oceanum. Ita affectus nihil impensius desiderabat, quam ut industriam suam a studiis alio traducere liceret. Dum ita hæret, inopinanti in manus incidit Fortii Ringelbergii de oratione studiorum liber. Fidem exsuperare videtur, quantopere tum a tristi illa sententia recesserit, quam de literis conceperat prius. Nihil enim illi jam præter doctrinarum studia placere: ea plane ex sapientum consilio instituere: semper

aliquid meditari; vel occasione oblatâ ad ea, quæ percepissent, aliis *aperire viam*. *Vossii oratio* in obitum Erpenii p. 6. 7. Modus, quomodo in iis versandum: *studiis, quæ certæ cuidam rei impenduntur, horis subsecivis alia, ad quæ animus propendet, misceri possunt*. Alexander à Capelle, Gerlaci à Capelle, Cancellarii Geldriæ proles dignissima, licet historiæ, civili prudentiæ & juris studio sedulo se dedisset: ea minime remittens, sane non intermittens, horis subsecivis, idq; quatuor vel circiter mensibus, tantam Arabicarum literarum notitiam comparavit, ut non modo citra vocalium, quas vocant, opem cuncta lectitaret: sed quæcunq; communi gentis ejus lingua prodita essent, optime intelligeret, belleq; interpretaretur. Vossii oratio in obitum Erpenii p. 17. Officium erga ea: *polymathia sectanda*. Certum manet, per omnes humanæ doctrinæ partes circumferendum & diffundendum esse animum plurimarum rerum capacem. Boineburg. epist. ad Dieter. p. 140. *Usus*: potior è rectis studiis fructus est composita animi moderatio & erga dissidentes durabilis facilitas. Boineburg. epist. ad Dieter. p. 116. Eadem. LINGVÆ. Officium in iis perdiscendis: *loca ipsa adeunda, ubi illæ sunt vernaculæ*. Iacobus Golius Matheseos ac totius Philosophiæ & Medicæ simul artis peritissimus, itinere cum illustrium DD. ordinum Legato in Mauritaniam suscepto, partim

tim colloqvendo cum eruditiſſimis, partim verſando ejus gentis codices terris noſtris ignotos, qvam in Batavia Linguæ Arabicæ ſcientiam nactus erat, immane qvantum adauxit. Guilielmus Merula, Pauli Merulæ Profeſſoris qvondam Leidenſis filius, cum magnos Leidæ in Hebræis & Arabicis progreſſus feciſſet, Conſtantinopolin adiit, ac quadriennio Perſicam, Medicam & Turcicam lingvam exactè didicit, Avicennæ libros quatuor ex Arabicis, quædam ex Perſicis, alia ex alia Orientis lingua vertit: Alcoranum præterea cum variis codicibus contulit. Voſſii oratio in obitum Erpenii p. 19. Guilielmus Borelius, Illuſtribus Zelandiæ ordinibus à ſecretis, orientalium inprimis lingvarum amore, nec ſumtus maximos nec pericula ingentia reformidans, itinera ipſe in Aſiam & Africam ſuſcepit, ibid. p. 23. Actiones circa eas: *quidam lingvas brevi interdum tempore addiſcunt.* In aula Gothana cum homo Abyſſinus, Pii illius Erneſti excelſæ memoriæ Principis impendio, verſaretur, Fridemannus Bechmannus accerſitus, ut Æthiopicas literas ab hoc viro hauriret, trium menſium intervallo laudati Principis ſpem non implevit tantum, ſed etiam ſuperavit. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 216.

LINGVA LATINA. Effectus: *ſcientia ejus evehit quosdam ad honores.* Quoniam Stephanus Batoreus lingvæ Polonicæ non erat

gnarus, Latinâ, cujus valde ſtudioſus & prorſus Terentianus fuit, utebatur, & ad eandem excolendam Nobiles Juniores ſæpius adhortatus eſt, dicendo: *Diſce Latinè, & ego ex te aliquando faciam Moſci Panie*, (eſt titulus honoris apud Polonos) Chwalkowski Effata Regum Polon. p. 83.

LINGVA GRÆCA. Officium erga eam: *diſcenda, quia neglectus ejus viros literatos pœnitet.* Boineburg. epiſt. ad Dieter. p. 93. De me cum cogito, exhorreſco totus. Quantum enim ignoro, quod diſcere pari felicitate (ac Ranzovius Græce doctus) potuiſſem, niſi fructus mihi ſtudiorum invidiſſet ſive aliena ſive meapte inconſiderantia. Me neutiquam vendito ab omni culpa immunem: agnoſcere tamen cogor (quia ita res ſeſe habet) majorem doctorum meorum meâ culpam fuiſſe, qui eruditionis meæ & pueritiæ & adoleſcentiæ præficiebantur. Sanè, ſi Deus puerum mihi meum incolumem ſervaverit, docebitur Græca omni modo: & allaborabo tota virium mearum mole, ut me doctior & ſolidior evadat.

§. 9. HOMINES DOCTI. Adjunct: *ſunt interdum pauperes.* Eraſmus Roterodamus nullum habuit officium, quod ipſi ſumtus neceſſarios ſubminiſtrare potuiſſet. Vixit ex liberalitate hominum, quæ ipſum tamen non nunquam indigere ſinebat. Huc illuc iter faciendo maximam ætatis partem transegit, & libros,

bros, quos legit, mutuo plerumque ſumere coactus fuit. Scilicet qui inſtructi ſunt mediis, ut poſſint ingenium applicare ad res utiles, id intermittunt: qui autem mediis deſtituuntur, vires mentis optime impendunt. vid. Clerc. Biblioth. Choiſie Tom. I. p. 388. 389. Officium: *cum hominibus illiteratis & inferioris conditionis verſari ne graventur.* Ab ipſo Rege Angliæ Johannes Graunt, qui non niſi tabernarius erat, inter primos ſocios regiæ ſocietatis Londinenſis, in incrementum ſcientiæ naturalis inſtitutæ, commendabatur, quod is editis obſervationibus in Tabulas mortuorum ingenii ſui ſpecimen prodidiſſet. Acta Erud. 1703 p. 106. Actiones erga eos: *vocantur interdum in regna diſſita ad res obſcuras quasdam illuſtrandas.* Petrus a Caſtro Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſignificabat in literis ad Erpenium, ſe ex libris ab ipſo editis exquiſitam ejus ſcientiam in univerſis Arabum literis ſatis cognoſcere: ac propterea magno ſe deſiderio teneri, ut per eum conſequi poſſit translationem quorundam, quæ ſe Granatenſem moderante Eccleſiam, effoſſa eſſent è monte Illipulitano, menſe Aprili anni 1595. Eſſe ea exarata in laminis plumbeis, idque literis plane exilibus. Præterea ajebat, librum eſſe alium ſummæ vetuſtatis, ſed incognitis literis, in quo interpretando hactenus nihil cujusquam potuerit vel peritia vel induſtria. Quapropter ſe Erpenium obſecra-

re, ut ipſe in Hiſpaniam veniat. Cum autem ſpiſſius hoc negotium procederet, quam poſcerent Præſulis vota: poſtulato ejus potentiſſimus, Hiſpaniarum Rex ad Sereniſſimam Infantem, Brabantiæ Archiducem literas miſit, quibus hoc de Erpenio negotium ſerio commendavit. Nec minus anno 1623. literis ſuis apud Erpenium inſtitit Chriſtophorus Aybarus, qui Præſuli Hiſpalenſi à ſecretis erat. Quo minus vero ea in re mos Regi gereretur, fiebat longinquitate locorum ac temporum calamitate, partim etiam aliis de cauſis. Voſſii oratio in obitum Erpenii p. 31. ſeqv. Conſeqv. *etiam apud exteros ſui admirationem excitant:* Regi Maroccenſi usque adeo placuere Erpenii literæ, cum ob alia, tum ob puritatem dictionis Arabicæ, ut optimatibus atque eruditiſſimis regni ſui viris ſæpius eas miraculi loco oſtenderit. Cum etiam Erpenius ab eo poſtulaſſet codices quosdam Arabicos, qui non alibi exſtarent quam in ſacrorum Archivis, deſcribi illos in ejus gratiam juſſit, primaque occaſione ſe recepit miſſurum. Ejusdem Regis orator eo curas ac cogitationes ſuas referebat, ut in negotiis regiis Erpenio conſiliorum ſocio atque adjutore uteretur. Sed remotus adeo a gloriæ cupiditate animus Erpenii erat, ut hoc honoris modeſtè recuſaret. Voſſii oratio in obitum Erpenii p. 33. aliud Conſeqv. *donis afficiuntur a viris Principibus.* Joh. Michael Dilherrus

anno

anno 1658. d. 7. Aug. Imperatorem Romanum Leopoldum, cum tunc Noribergæ subsisteret, Bibliothecam ingressurum, ad portam stans, hoc Epigrammate prolato salutavit:

Salve progenies divum, salve inclyte Cæsar,
A summo summum Numine culmen habens.
Dum templum ingrederis Musarum, ostendis amorem
In Musas, quarum tutor & altor eris.
Hæc scribent gratæ æternis tua Nomina fastis.
Ut vigeas seclis innumerabilibus.

Tunc ostensis raris & variarum lingvarum libris interrogatus ab Imperatore, num eosdem legere posset? quidni, respondit, & intelligere? specimenque edidit. Inde conversus ad suos, quos secum habuit Imperator, Patres: Ecquid vos, inquit, scitis? In prandio quoque honorificam ejus fecit mentionem, quod in omnibus sibi ex asse satisfeciisset. Paulo post Vienna munus ab Imperatore Leopoldo missum accepit catenam auream magni pretii cum appenso nummo iconico: cujusmodi donaria ab aliis quoque magnatibus sæpius ei transmissa fuerunt. Zeumeri Profess. Theol. Jenens. p. 167. 168.

Eadem. DOCTORES. Actiones erga eos: *novi interdum præferuntur senioribus.* Hebraicas literas Salmurii publicè docebat Philippus Bignoræus, natione Aremoricus; quo Præceptore

ceptore linguæ ejus elementa hauſit clariſſimus Theologus Reformatus Franciſcus Junius. Sed ubi Erpenii nomen ad aures ſtudioſæ venit juventutis, inſtitutionem Bignoræi veterani doctoris, ſed fortaſſe ſenio jam fatiſcentis, privatæ adoleſcentis operæ longiſſime poſt habuit. Voſſii oratio in obitum Erpenii p. 12. 13.

Eâdem. SCRIPTOR. *Cauſa moralis permittens, ut quis quid ſcribat: Ædilis curulis.* Lucius Joannes Scopa autor eſt in collectaneis fuiſſe legem latam Romæ: ne quis quid Romanorum ſcriberet ſine venia Ædilis Cur. Kirchmaier. epiſt. ad Frid. Bened. Carpzovium p. 162. officium ſcriptoris: *non debet negligere eos, qui ante ſe de materia, quam tractare cupit, aliquid literis mandarunt.* Sic Joh. Clericus notat Nic. Sanſonium auctorem Geographiæ Sacræ, quod in conſilium non vocaverit in ſcripto ſuo Jeſuitam Jacob. Bonfrerium, cujus liber Pariſiis impreſſus eſt, & Bocharti librum Phaleg. vid. biblioth. choiſie Tom. II. 309. Officium noſtrum erga ſcriptores: *non ſemper ſunt reprehendendi.* Qui polygraphos in ſcriptis ſuis carpunt, ſæpe in eo peccant, quod in aliis culpant, ac ſunt audaciores in cenſendo ac alii in ſcribendo. Ipſi ſcribunt, & tamen alios, culpant, quod ſcribant. Nam ſane, ut, quæ ſunt minoris momenti, per ſe ætatem non ferent, ita tolerari impune poſſunt: aliorum vero diligentiam his ipſis querimoniis deterreri

ſæpe

Digitized by Google

ſæpe numero conſtat. Lampe in præfat. libr. de cymbalis.

Eadem. PROFESSORES. Adjunct. *habent interdum multas profeſſiones.* Joh. Michael Dilherrus anno 1631. Jenæ ad profeſſionem eloquentiæ eſt provectus: cui cum poſtea anno 1634, tum profeſſio Hiſtoriarum & Poëſeos, tum anno 1640. poſt obitum D. Joh. Gerhardi extraordinaria Theologia acceſſiſſent, factum, ut uno tempore exemplo inuſitato quatuor profeſſionum ſpartam ſit nactus, quam laudabiliter ornavit: ſiquidem in lectionibus publicis ſæpius ultra 200. & in privatis ultra 100. auditores ex omnium facultatum ſtudioſis habuiſſe fertur. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 164. 165. Actiones: *interdum ex facultate ſuperiore in inferiorem transgrediuntur.* Chriſtophorus Hammerus anno 1583. Linguæ Hebrææ Profeſſor ſtudioſæ juventuti eſt traditus, & anno 1584. ejus reſpectu etiam in facultatem receptus Theologicam, in qua manſit usque ad annum 1591. quo ipſe omnium Ebraicarum literarum Profeſſorum in Salana primus ex reſcripto Principum collegio Theologorum valedixit, in ordinem Philoſophorum cooptatus. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 104.

Eadem SCHOLÆ. Uſus: *docentur in iis pueri pietatem, bonos mores & artes.* Supra portam Gymnaſii Mariani quod Dantiſci eſt, fini-

Digitized by Google

ſiniſtram verſus hæc leguntur verba:

Schola Mariana

Cui pietas cura, moresque, artesque perita,
Huc ades ætatis flore virente puer.

Brand. Itin. p. 19. Effectus: *prodeunt inde egregii cives, cœli tandem incolæ.* Dantiſci ſupra portam Gymnaſii Mariani dextram verſus ſcripta extant hæc verba:

DEO & Patriæ.

Hinc olim egregios petiit reſpublica cives,
Cœlica municipes hinc petet aula ſuos.

Brand. Itin. p. 19.

CONTENTA ITINERARII DOMINI BRAND. Paulus Meneſius Legatus Ruſſicus Anno 1673. Bilefeldiam ad Electorem Brandenburgicum veniebat, & poſtquam periculum ex impreſſione Turcarum in Poloniam ortum, facileque ad vicinos tranſiturum expoſuiſſet: monebat Electorem, ut cum Czario & Polonis arma adverſus Turcas conjungeret, ſuaque auctoritate alios Principes in eandem ſententiam pertraheret; Paulo poſt *Joachimus Scultetus* in Moſcoviam miſſus eſt ad gratias Czario agendas, quod pro Polonis ſolicitus fuerit, eumque monendum, ut inpoſterum etiam eorum curam habeat. Egreſſus eſt Legatus Berolino anno 1673. d. 12. Auguſti St. N. Die 4. Decembr. introiit Moſcuam, & d. 14. ejusdem menſis rurſus inde obiit.

Eadem. ACADEMIÆ. Officia Regum erga

erga eas: *privilegiis ſunt ornandæ.* Cum Euſtachius Volovicius Caſtellanus Trocenſis, Vice Cancellarius Lithuaniæ difficilem ſe in ſigillandis Academiæ Vilnenſis privilegiis præberet, Rex Stephanus Batoreus eum allocutus eſt: aut obſignet, ſi vult, aut ſi non vult, det ſigillum, ſe ipſum obſignaturum; ſed ſigillum jam eum amplius non recepturum eſſe. His auditis fecit Vice Cancellarius, quod Rex voluit, privilegiumque obſignavit. Chwalkowski Effata Regum Polon. p. 84.

§. 10. TYPOGRAPHIA. Cauſæ ſive Auctores typographiarum: *inſtituuntur nonnunquam a viris eruditis.* Romæ jam frigebat prælum Medicæum, nec ultra ſatisfaciebat magnificæ expectationi, quam concitaſſet. Aliunde autem vix aliquid ullius momenti in Arabicis; in Perſicis vero ac Turcicis nihil omnino prodibat. Erpenius igitur pro ſummo erga orbem Chriſtianum amore, ſumtuum magnitudine minimè territus, typographiam inſtituit, idque lingua non una, ſed Arabica, Hebraica, Syriaca, Chaldaica, Æthiopica, Perſica, & Turcica. Atque ad heroicum hoc facinus ſtimulos ſibi additos eſſe fatebatur a Franciſco Savario de Breves, Regi Chriſtianiſſimo a conſiliis, ejusque prius Conſtantinopoli, poſtea Romæ oratore: qui & ipſe typographiam Arabicam Lutetiæ Pariſiorum maximis adornare impenſis dicebatur. Voſſii oratio in obitum Erpenii p. 21. Ea-

Eadem BIBLIOTHECA. Uſus: *bibliotheca uſui publico inſervire debet.* Guilielmus Borelius, licet publicis negotiis diſtrictiſſimus, nec pecuniæ nec operæ parcebat in Orientalibus libris, ab ultimis etiam mundi plagis, ſibi comparandis, ſibi vero? imo potius orbi Chriſtiano: quandoquidem bibliothecam mancipio quidem ſuam eſſe arbitrabatur: uſu autem omnium eorum, qui eas literas intelligebant. Voſſii oratio in obitum Erpenii p. 23.

Eadem. SCRIBERE. Effectus ſcriptionis: *literæ ſive characteres.* Singularis ſcribendi artifex fuit Stanislaus Pacholowiecki notarius Cancellariæ tempore Regis Stephani. Triginta enim characterum genera calluit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 90.

Eadem. DISPUTARE. Effectus: *diſputationes impellunt quosdam ad religionis mutationem.* Guilielmus Reginaldus ante Calviniſta cum Johanne Rainoldo fratre Germano tum Catholico diſputans, evaſit & ipſe Catholicus, Joanne indidem reddito Calviniſta viciſſim. Boineburg. ad Dieter. epiſt. p. 172.

§. 12. METAPHYSICA. Officium erga eam: *amanda & excolenda.* Thomas Erpenius eorum, quæ Metaphyſica appellantur, amore tanto flagrabat, ut, non contentus ſummo ſapiendi magiſtro, Ariſtotele ejusque interpretibus Aphrodiſienſi, Philopono, Syriano,

Aver-

Averroë, Aquinate, Fonſeca, aliis: etiam ingentes illos Svarezii commentarios a capite pellegeret ad calcem; imo ubi opus, iteraret, tertiaret; vaſtumque illud volumen ita tandem animo inſcriberet penitiſſimo, ut annis etiam multis poſt curriculum Philoſophiæ decurſum, cum jam aliis ſtudiis vehementius incumberet, veritus non ſit dicere amicis, vix magni hujus operis paginam eſſe ullam, cujus non ordine argumentum omne, & quicquid memorabile foret, exacte adhuc calleret; ſpecimenque dare paratus ſemper fuit. Voſſii oratio in obitum Erpenii p. 7. 8.

§. 13. PHYSICUS. Effect. *res obſcuriſſimas perſcrutatur.* Lynceus unus ex Argonautis tantæ perſpicacitatis fuit, ut per quasvis duras & opacas res oculorum acie penetraret, de quo Valerius Flaccus Argonaut. I, 463.

- - *poſſit qui rumpere terras,*
Et ſtyga transmiſſo tacitam deprehendere viſu.

Juxta Plutarchum dicitur per ſaxum & quercum perſpexiſſe. Fuit ſcilicet rerum naturalium ſcientia inſtructiſſimus.

§. 17. FRAGILIS ſive FRAGILITAS. Officium noſtrum: *ejus debemus eſſe memores.* Lutherum Halâ transeuntem cum aliquando Juſtus Jonas excepiſſet hoſpitio, in menſa Lu-

 therus

therus ei ex vitro elegante propinans, hos ex tempore verſus dixit:

Dat vitrum vitro Jonæ vitrum ipſe Lutherus,
Ut vitro fragili ſimilem ſe noſcat uterq;.

Ex quibus apparet, Lutherum mortis præſentiam tunc conjeciſſe: ſi quidem ipſe eodem tempore, quo a Jona Islebium comitabatur, eodem præſente vitæ ſuæ curriculum ibi placidè abſolvit. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jen. p. 24.

§. 21. ECLIPSIS. *Concomitans Eclipſeos:* luna eclipſin paſſa æneis quibusdam crepitaculis revocabatur. Milites æris ſono, tubarum cornuumque concentu ſtrepebant, ut luna ſplendidior fieret. Tacit. Vid. Lampe de cymb. III. 11.

Eadem. COMETÆ. *Cauſa eorum: miſericordia Dei.* Scio, ſtatuo, aſſentior, cometas ſigna non irati minus quam miſericordis Dei, paternè homines momentis, maximique facienda eſſe. Kirchmaier. epiſt. ad Erhardum Weigelium p. 124. Ex cauſis naturalibus phænomena oriri hæc non ſecus ac eclipſes aut meteora etiam aeria exiſtimaverim: & hinc cometas maxime ſolares eſſe fœtus, raro Martiales atque Saturninos, niſi magna forſitan conjunctio contingat; qui aut planetarum ſuorum ſphæris ſunt propinquiores, aut ab evaporationibus illorum compinguntur. Quod ſi ita foret,

foret, quidni etiam ex faculis ſolaribus prædici aut addiſci poſſint. Kirchmaier. epiſt. ad Hevelium p. 131. *Finis: ſignificatio.* Æliſæus Rœslinus fauſta omnia prædicere ex cometis audet: ſicuti Joan. Crabbeus omnia pronunciavit dira. Libavius putat, ex uno nihil demonſtrationis petere nos poſſe de ſignificatione cometarum Kirchmaier. ad I. D. Majorem p. 136.

§. 23. IGNIS. Cauſa inſtrumentalis: *ignis ex ſilice excuti poteſt.* Cauſam inquirens Prudentius, quare Deo placuerit ordinare, ut ex ſilice ignem excutere liceat, eam reddit: ut ſcilicet cogitemus verum lumen in Chriſto, qui alias petra dicitur, quærendum eſſe. Verſus ita habent Hymno Cathemerinon V, 5. ſeqv.

Quamvis innumero ſidere regiam
Lunarique polum lampade pinxeris;
Incuſſa filicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigeno ſemine quærere:
Ne neſciret homo, ſpem ſibi luminis
In Chriſti ſolido corpore conditam;
Qui dici ſtabilem ſe voluit petram,
Noſtris ignibus unde genus venit.

Eadem. ÆSTUARE ſive ÆSTUS. Tempus: *aliquando in hieme.* Anno 1414. in Lithuania tam inſolita per Januarium ac Februarium auræ tepeditas fuit, ut paſſim herbæ arboresque vernis floribus contectæ ſpectarentur. Singul. Polon. Chwalkowski p. 102.

§. 24. AER. Species: *aër marinus, qui ursis intolerabilis est.* Ad pagum Borussicum Rasitten inventus fuit ursus quercum amplectens, ab aëre marino suffocatus. Brand. Itin. p. 49.

Eadem. VENTUS. Causa: *lunaris influxus.* Ubi luna æquori fuerit verticalis, mare deprimitur, & coarctatus intra lunam & superficiem maris aër undecunque in motus ventosos cietur. Alia causa: *motus fluviorum.* Aër (etiam alias tranquillus) movetur cum fluviis celeriter (imo ne celeriter quidem) currentibus. I. D. Major epist. ad Kirchmaier p. 37. 38.

Eadem. PROCELLA. *Medium procellam avertendi.* Angli procellas Hoos, in naves irruentes, tormento explosо dissipant. Tappens Itin. p. 116.

§. 25. FRIGUS. Effectus: *non semper corrumpit fruges.* Regnante Casimiro M. anno 1353. cum Martius, Aprilis & Majus ultra medium, verno ac pene æstivo calore ad calamos & aristas segetes perduxisset, coorto derepentè acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terras operuit, & in sextum usque diem duravit. Et cum omnes jam existimarent segetes corruptas, ubertas frugum præter spem tanta coorta est, quanta vix unquam alias fuit. Singul. Pol. Chwalkowski p. 101. 102.

Eadem STAGNUM sive LACUS. *quomodo fiant? quando aqua, quæ sub terræ quodam spatio est, eam amplius ferre nequit.*

Tunc

Digitized by Google

Tunc enim terra mergitur, aquâ in ejus locum succedente. Agricola quidam è pago Rotleberode abducens equos ab agro suo, videt locum illum, in quo arando occupatus fuerat, demergi, & in profundum hiatum subsidere: qui quadraginta annos aridus mansit, arbustisque & inprimis cerasis, semine ab avibus eò allato, vestitus fuit. Præter omnem autem opinionem anno 1650. mense Julio hiatus hic in maxima aëris siccitate late se diffudit; omnesque arbores ac frutices absorptæ sunt, aquâ, quæ è terra scaturiebat, illas tegente. Hercyn. curios. Behrens p. 92. 93.

Eadem. FLUVII. Accidens circa eos: *confluentes interdum non statim miscent aquas.* Apparet id in fluviis Salzio atque Helmo, & ex Helmi aqua turbida, Salzii vero limpida agnoscitur. Causa vero hujus rei est fluminis utriusque celerrimus motus, mixtionem subitaneam impediens. Præterea spissitudo & gravitas Helmi levem Salzii aquam a se quasi propellit atque arcet. Hercyn. Curios. Behrens p. 123. 124.

Eadem. BULLÆ. *Causa bullarum: aër.* Vulgus illud unicornu fossile probum judicat, quod aquæ injectum plures bullas excitat. Cum enim optimum unicornu porosum esse debeat: ex aëre per aquam è poris illius expulso bullæ oriuntur. Hercyn. curios. Behrens p. 59.

§. 26. NEBULA. Effect. *confert aliquid*

ad vincendum hoſtem. Franci ex prælio quodam reliqui Londinium refugerant, quo pars Conſtantianorum, errore nebuloſi maris adverſo Tameſi delati, incautos oppreſſerunt. Cell. ad Paneg. vet. p. 106.

Eadem. TEMPESTAS. Effect. *impedit a perſequendis hoſtibus.* Conſtantius à perſequendo Carauſio, fracta tempeſtatibus claſſe, eſt revocatus, coactusque pacem cum illo inire, ne Galliarum is litora infeſtaret. Cellar. ad Panegyr. Vet. p. 100.

§. 27. MARMOR. *loca marmoris lapidicinis nobilia:* Paros maris Ægæi inſula, Synnada Phrygiæ oppidum dives marmore maculis diſtincto, Lacedæmon viridi. Cell. ad Prud. p. 452.

Eadem. MAGNES. *Subjectum operans circa eum:* Guilielmus Perſallus eques Anglus per annos 22. magneticis experimentis dicitur incubuiſſe. Kirchmaierus ad Joh. Georg. Volckamerum epiſt. p. 109.

§. 29. METALLIFODINÆ. *Inventio earum: fit quandoque per animalia.* Imperator Otto I. Hartzburgi commorans venatores ſuos ſæpius eo in tractu venari juſſit. Inter illos quidam, *Ramm*, dictus, cum feram ob montis altitudinem equo amplius perſequi non poſſet, eum alicubi alligat, pedesque feræ veſtigia legit. Interea equus, Ungula quatiens terram, æris venam aperit, cujus particulam venator,

nator, id videns, ad Imperatorem defert. Confluentibus cò postea plurimis metalli fossoribus, Imperator montem a nomine inventoris Rammelsberg vocavit. Hercyn. curios. Behrens p. 145. Quidam hoc factum asserunt temporibus Henrici Aucupis. Eadem. *Subjectum operationis:* Indicæ societates nullibi terrarum exercent Metallifodinam. Menso Altingius Consul Groninganus epist. ad Kirchmaier. p. 89. Eadem. *Locus ubi sint: Gallia.* Ex monumentis antiquissimis, ac plane memorabilibus, scribit Kirchmaierus, ostendam, per invictas rationes, quantos ante multa secula expromserit, & abditis montium inclusos adhuc possideat proventus metallorum Galliarum regnum. Nec demonstrare vias, quibus eo pervenire liceat, refugiam, si Regi arriserit hoc institutum. epist. ad Joh. Baptist. Colbertum. p. 119.

Eadem. ÆS. *Adjunct.* medicatam æri vim præ reliquis metallis vetusta tribuit superstitio. Spectra æris sono fugari credebant. Heroes non facile nisi æneis armis usos legas præsertim illos fabulosi temporis. ære leges scribebantur. integra aliquando Deorum templa ex ære, plurima templorum supellex ænea. Lampe de Cymb. III. 11.

Eadem. FERRUM. *Origo ferri ab Idæis Dactylis.* Celmis & Damaneus Idæorum Dactylorum primi invenerunt ferrum in Cypro,

alter vero mixturam æris. Clemens Alex. Stromat. I. Tempus inventionis: *ferrum poſt æs inventum.* Et prior æris erat, quam ferri cognitus uſus. Lucret. l. V. Vid. Lampe de Cymbalis III, 4.

Eadem AURUM. Forma: *ſcobs inſtar arenæ.* Societas Indica ex Guinea, qua potitur, affert auri ſcobem inſtar mollis arenæ, commercio quæſitam, & puram adeo, ut fuſæ non niſi parum ponderis decedat. Menſo Altingius Conſul Groning. epiſt. ad Kirchmaier. p. 89.

Eadem. SAL. *Locus, ubi inveniatur interdum fodinæ.* Stuporis plena res eſt videre Bochniæ & Vieliciæ abyſſum ſalis fodinarum, quas acceptas referunt precibus Cunegundæ conjugis Boleslai Pudici. Cum per aliquot ſecula non niſi funium beneficio deſcenſus & aſcenſus fuerit, Sereniſſimus Rex Johannes III. ſalisfodinas Vielicenſes ſcalis donavit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 40.

Eadem. SULPHUR. *Materia in qua: lacus vel fluvius.* Prope lacum Belo-Ozer alius eſt lacus ſulphur proferens, quod fluvio ex eo prodeunti tanquam ſpuma innatat. Hennin. adnot. ad itin. Brand. p. 402.

§. 32. FRUGES. Officium erga eas: *ficcantur.* Churlandi in horreis ſuis parant furnos, ſuper quos ponunt baculos parum à ſe invicem diſtantes. Inter hos figunt ſpicas culmis

mis dependentibus, ut ita a calore furnorum aridæ fiant. Fruges dein equorum vel vaccarum pedibus conculcatæ è ſpicis excluduntur. Siccantur autem ideo, ut ſint durabiliores: ſiquidem Batavi hac ratione lubentius eas coëmunt, ut iis in navigationibus utantur. Sic etiam juxta ipſorum opinionem tertio jam die terræ commiſſæ, creſcere incipiunt. Frumentum etiam hoc pacto erit eo purius. Brand. Itiner. p. 70. 71.

§. 34. OLIVA. Officium circa eam: *fructus ejus colliguntur.* Tempus legendi olivas maturas, quod circa Decembrem eſt, *olivitas* appellatur. Columella XII, 50. Media eſt olivitas plerumque initium menſis Decembris.

Eadem PIRUS ferens PIRA. *Locus*: ob aeris inclementiam in Churlandia pauca dantur poma, pauciſſima pira. Brand. Itin. p. 67.

Eadem. SILVA. *Uſus:* ſylvas ſacras puellæ religionis cauſa adire ſolebant: ad Chriſtum autem converſæ vel ipſæ ſacerdotulæ eas deſerebant. Prudent. periſtephan. Paſſ. VI, 37.

Tu, qui doctor, ait (*Æmilianus judex*) *ſeris novellum*
Commenti genus, ut leves puellæ
Lucos deſtituant, Jovem relinquant.

§. 35. ANIMALIA. Uſus eorum: *poſſunt occidi, ut hominis famem ſedent:* Benjanes autem animalia non occidunt, dicentes: non

dedimus iis vitam; non debemus ergo iis vitam aufferre. Tappens itiner. p. 108.

§. 37. NOCTVA. Uſus: *Palladi ſacra*, natæ in Tritonide lacu; unde dicitur noctua Tritonia apud Prudent. Lib. II. in Symmach. 573.

Nullane triſtificis Tritonia noctua Carris
Advolitans, præſto eſſe Deam prænuncia Craſſo
Prodidit?

§. 38. APIS. *Actiones hominum circa apes:* cymbalis apes revocari ſolebant, quæ in examine longius avolaverant. Inde a Columella Muſarum aves dictæ, interdum tamen ſono cymbalorum pulſæ ſunt. ſonitus ille fuit turbulentus. Fumo etiam fugabantur. Lampe de Cymb. III. 12.

Eadem. SERPENS. *Pars* ejus *integralis* eſt lingua, quam ei trifidam ſive triplicem poetæ tribuunt. lingvis micat ore triſulcis. Virgil. Georg. III. 439. tresque vibrant lingvæ Ovid. Metamorph. III. 34.

§. 39. CORNUA. *Denotata per ea: robur & ſuperbia.* Cornu hieroglyphicum non inſolentiæ duntaxat, ſed potentiæ etiam ſymbolon eſt. *Subjectum iis delectatum:* Attilas in imaginibus & nummis bubulis horrendus cornibus repræſentatur. Kirchmaier. ad Abbatem Lucoenſem Gerardum epiſt. p. 148. 149.

Eadem.

Eadem EQVUS. *Nomina equorum:* Cyllarus fuit Caſtoris aut Pollucis: Arion Herculis & poſtea Adraſti. Quis te Cyllarus aut Arion poſſet eripere, quem ſequebatur imperium? vid. Paneg. VI. Eumenii, Conſtantino dictus C. VIII, 5.

Eadem. URSUS. *Species: Numidæ.* in Numidia villoſiores urſi. Inde Prudent. Lib. II. in Symmach. 300. vocat pellem Libyſtidis urſæ, id eſt, Africanæ.

§. 41. CARO. Adjunct. *ſapor.* Caro Indorum juxta confeſſionem carnivororum quorundam dulcior eſt carne Germanorum. Tappens Itin. p. 116.

§. 42. CAPILLI. Actus circa eos: *abſcinduntur interdum.* Livoni ſponſæ, quando ad thalamum ducitur, capillos abſcindunt, quod amiſſionem virginitatis indicat. Brand. Itin. p. 149. Uſus capillorum: *matronæ in magnis malis aras crinibus verrebant.* Stratæ paſſim matres crinibus templa verrentes veniam irarum cœleſtium finemque peſti expoſcunt. Liv. III, 7. Vide Adnotat. Cellar. in panegyricos vet. 2. 10. 3.

§. 43. VIDERE. Objecta viſionis, ſive *quosnam libenter videamus: advenas & in ſpecie legatos.* Ubi primum ex alto viſi Poloni cum Legato venientes, complentur non modo viæ & proxima urbi, ſed mœnia & tecta, quaque longiſſime proſpectari poterat Turcarum turba,

turba, rogitantium inter se de Polonorum moribus & habitu diversa. Kuszewiez narrat. legat. Zbaravianæ p. 73. 74. postquam in urbem ventum, nullus in ea fuit aut Turcarum aut exterorum, quin altissima tecta peteret, atque ex omni prospectu locum spectaculo caperet. ibid. HISTORIA LEGATIONIS ZBARAVIANÆ BREVITER ITA SE HABET: Post bellum Chocimicum Zbaravius a Rege Polonorum mittebatur in Turciam. Dum apparat iter, occiditur Constantinopoli Imperator Turcicus Osmannus in seditione Janizarorum, & Mustaphæ è carcere protracto summa rerum committitur. Dziurdzius Vezerus causæ legati, postquam Constantinopolin venerat, semper adversabatur, & tributum à republica Polonica exigebat, quod tamen erat contra pacta. Tandem in carcerem detrudere cogitat legatum: qui Janizaris quibusdam persuadet, ut dejecto Dziurdzio Husseimum Vezerum creent. Hic officium id consecutus, negotium Legati ad optatum finem perduxit.

VIDERE vel VISUS. *Medium recuperandi visum: bibere aquam.* In suburbio Nordhusano est fons Elisabethæ, cujus aquas senex quidam jam tum perspicillis utens, quia aliquamdiu pecuniâ, pro qua sibi cerevisiam vinumque sublimatum compararet, carebat, bibere coactus fuit; & hac ratione visum ita recepit, ut in legendo nullis ipsi perspicillis opus

opus esset. Hercyn. curios. Behrens p. 107.

§. 45. COECITAS. *Causa: esus piscium.* Astakki populi pisces recentes comedunt, & loco panis siccatos: unde fit, ut plerumque visu priventur aut cœcutiant. Hennin. adnot. ad Albrecht Dobbins descriptionem Siberiæ p. 444.

COECITAS sive COECUS. *Accidens: doctrina.* Vir in linguis, philosophia & theologia doctissimus M. Huldaricus Schonbergerus, qui pustulis laborans anno ætatis tertio visum amiserat, anno 1645. Regiomontem venit, ibique omnium cum applausu multos erudivit. Brand. Itin. p. 33. & Hennin. adnot. p. 323. seqv.

§. 51. VITA. *Signum vitæ:* litera T, quæ in militum breviculo addebatur nominibus superstitum (quod Rutgersius ex τηρέω ducit, cujus initialis est) Θ vero mortuorum ex θάνατος. In Romano foro theta mortiferum signum Martialis dixit. Christianis præterea T signum crucis est. Cruce Christi enim superstites sumus & vita parta ac servata. Vid. Cellar. adnot. ad Prudent. 358. Officium: *vita conservanda, quod natura etiam docuit animalia.* Piscis Bielluges tanti sæpe est ponderis, ut 30. viri ei ferendo vix sint pares. Omnia, ex quibus constat, comedi possunt: ossa etiam nullam habent duritiem, ex intestinis gluten conficitur. Wolga intumescente, magni ponderis lapides, qui plerumque sunt lapides Lydii, deglutit,

glutit, ut in fundo hæreat, nec per vim fluminis in terram propellatur. Hi lapides sæpe in ventre piscis in rotunditatem formantur, & Astracane ex ventriculo hujusmodi piscis lapis 250. librarum eductus est. Hennin. adnot. ad itin. Brand. p. 424.

Eadem. GENERATIO. Modus, quomodo fiat: *Seminum fit commixtio.* Hoc Edmundus Dickinsonus in Physica veteri & vera illustrat experimento, quo spiritus fortissimus nitri (vel ejus loco vitrioli) atque terebinthi, cum miscentur, statim flammam emittunt. vid. Acta Erud. 1703. p. 38.

Eadem, PUMILIONES. Adjunct. *dicuntur esse benefici erga homines.* Seniores narrarunt, in speluncis pumilionum inter Elbingerodam & terram raparum habitasse pumiliones, qui, quando tempore nuptiarum parentes atque agnati desponsatorum ad introitus specuum accedebant, & a pumilionibus orichalcea & cuprea vasa, stanneas patinas atque orbes, aliaque instrumenta culinaria petebant, ea, ubi petentes paululum a specubus se subduxissent, ante fores earum collocarint; quibus tum homines in apparatu nuptiarum usi sunt. Iis autem finitis mutuò sumta rursus ad pumiliones pertulerunt, cibis aliquibus in gratiarum actionem additis. Hercyn. Curios. Behrens p. 73.

Eadem. NATALIS. Subjectum sive *cui*

diei

Digitized by Google

diei hæc appellatio competit? R. *dies, quo princeps imperium ſuſcepit, natalis quoque dictus fuit.* Spartianus de Hadriano, quem 9. Kal. Febr. natum dixit, refert c. 4, non ſolum 5. id. Auguſti die natalem adoptionis, verum etiam 3. Iduum earundem natalem Imperii inſtituiſſe celebrandum. *Officium in natalibus:* natali principum, quo imperium ſuſceperant, cum voto pro ſalute ipſorum quotannis etiam juratum fuit. Plin. l. X. ep. 60.

§. 52. DORMIRE ſive SOMNUS. Officium in ſomno: *Summo mane eſt relinquendus.* Johannes Muſæus quotidie horâ matutina tertia aut quarta omnibus anni temporibus cubitu ſurrexit, & peractis precibus ſtudia aggreſſus: a qua conſuetudine nunquam receſſit. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 180.

§. 53. RUCTUS. Adjunct. *ructum emittere non habetur inhoneſtum apud quasdam gentes.* Legatus Brandenburgicus, cum ſolemniter introductus ad Czarium, locum ſuum in conclavi occupaſſet, unus ex tredecim Bojaris ad parietem ſedentibus ructum emiſit, ut legatus cum comitibus territus miraretur, Czarium cum reliquis miniſtris homini non iraſci. Brand. Itin. p. 129.

§. 58. TEMPUS. Officium: *ejus opportunitate utendum.* Uladislaus Logticus exercitum contra Cruciferos ducens, ita milites al-

lo-

Digitized by Google

locutus est: Malis bonisque rebus meis edoctus scio, quantum possint in bello momenta temporum atque occasionum. Has qui prudenti patientia speculari novit, securus vincit; vel si fortuna recte etiam consultis repugnet, *vincitur saltem serius atque excusatius.* Sæpe parvis copiis magni exercitus, iniquo vel loco vel tempore deprehensi, debellantur. Chwalkowski Effata Regum Polon. p. 40.

Eadem. TEMPUS NOCTURNUM. Effectus noctis: *confundit res.* Rebus nox abstulit atra colorem Æneid. VI. 272.

Eadem. ANNI. Signum sive *designatio annorum:* Consulum nomina in fastis annos signabant primo loco scripta. Inde de Consulibus Prudent. l. 1. in Symmach. 596. quod

- - fastorumque arce potiti
Annales proprio signarint nomine chartas.

Eadem. HIEMS. *Initium hiemis:* bruma fere conficitur circa 8. Calend. Januarii, in octava parte Capricorni. Columella IX. 14.

§. 59. ÆTAS. *Partes:* quatuor ætates hominis per quatuor latera templi mystici significata; quodlibet latus tres portas seu ingressus habet. Senectus Septentrionali lateri, ut pueritia ortivo comparatur. Cellar. ad Prud. p. 394.

Eadem. SENES sive ANTIQVITAS. *Indicium antiquitatis: obscura principia.* Ipse eorum opinionibus accedo, qui initia Polonorum,

rum, ut plerisque in septentrione obscura, antiquitatis argumentum esse volunt. Kuszewicz narrat. Legat. zbaravianæ. p. 57.

§. 60. MORS. concomitans: *interdum quis moritur, quando funus alteri parat.* Sigismundus III, dum defunctæ Reginæ Constantiæ funus apparat, ipse fit funus. Dum uxorem Cracoviam ad avitum mausolæum deducere cogitat, ipse simul deportatur. Ita quos junxerat thalamus, jungit tumulus. Singul. Polon. Chwalkowski p. 30. 31. Tempus: *adest sæpe, quando adhuc magna meditamur atque in negotiis difficillimis versamur.* Illustres Ordines, cum Erpenius quinto ante mortem die Hagam evocatus, in concilio eorum graviter disseruisset, decrevere literas actaque omnia, quæ ad negotia Musliminorum pertinerent, fidei ejus committere, ac posthac, quoties de mente eorum disceptaretur, sermonem cum eo jungere in concilio suo, ut eo certius dispicerent, quid Musliminicæ genti responderi oporteret. Postero die in illustri illo consessu Erpenius de maximi momenti rebus loquebatur: interque alia gravissimas adducebat causas, cur expediret Reip. ut a Marocensi Rege vir exposceretur Arabicè doctissimus: ac, ne videretur isto sibi solum consultum ire velle, eum se de suo aliturum recepit. Hujusmodi verba dum majori animi contentione facit, quam vires ferrent, nec antea admodum firmus, majorem etiam persentiscere langvorem

cœpit, usque adeo, ut considendi veniam postularet. Ut vero in hospitium venit, magis etiam manifesta morbi indicia se ostenderunt. Die sequente, auctore etiam Screvelio, medico clarissimo, Leidam se deferri jubet. Postquam eum domi lectulus suus recepit, continuis se precibus commendavit Deo. Vossii oratio in obitum Erpenii p. 36. 37. seqv. Locus mortis: *non semper morimur, ubi orimur.* Reges Poloniæ in loco, ubi Reges esse oriuntur, non moriuntur. Computando enim a Iagellone usque ad Michaelem nullus, nisi Sigismundus III, ibi mundo valedixit, ubi respublica eum Regem dixit, scilicet Varsaviæ. Vide Singul. Polon. Chwalkowski p. 1. sequ. *Officium nostrum in morte: ponenda aliis ob oculos vitæ nostræ vanitas, Deique super nos misericordia.* Uladislaus IV. circa mortem, præclarum Christianæ modestiæ & Regiæ pietatis specimen edidit, inquiens: O quam velim nunc toti mundo esse spectaculum, in quo mortales tanquam in speculo viderent, quæ in me Deus exhibuit spectanda: ac primo, qualis sit humanarum rerum præsentis vitæ vanitas: deinde quanta sit super unum peccatorem misericordia Dei & benignitas. Chwalkowski Effata Regum Polon. p. 105. Effectus mortis: *impedit servitia.* lapidem sepulchralem tredecim pedes longum, octo latum, unum densum in regiam Basilidis deducere rustici quidam jussi erant: cum vero in itinere de morte

Tyran-

Tyranni certiores fierent, lapidem eo loco, ubi tunc erant, relinquentes abibant, adhuc hodie eundem obtinentem ſitum. Brand. itiner. p. 201.

§. 61. AUREUM SECULUM. *Quando illud vigeat?* R. Tempus Novi Teſtamenti vere propter abundantiam divinæ clementiæ nobis eſt ſæculum aureum & novum. Cell. adnot. in Prudent. p. 73.

§. 62. AFFECTUS. Adjunct. *Affectus debent eſſe moderati.* Medium autem, quod affectus moderatos efficit, eſt temperantia.

Guſtus & ipſe modum teneat,
Soſpitet ut jecur incolume.

id eſt, ut ſine motibus ſeu affectibus ſit, quorum ſedes jecur ex Platonis Philoſophia. Vid. Cellarii adnot. in Prudent. Hymn. III. Cathemerinon v. 179. 180.

§. 63. DESIDERARE ſive DESIDERIUM. Conſeqv. *quandoque impletur.* Rookius Anglus A. 1662. deceſſit eadem nocte, quam ab aliquot annis miro deſiderio expectaverat, ut obſervationes circa ſatellites Jovis abſolvere demum poſſet. Acta Erud. 1703. p. 107.

§. 64. MIRACULA. *Locus: ſepulcra martyrum.* Vis divina ad ſepulcra martyrum exercita torquebat Diabolum, ut excederet ab obſeſſis. vid. Cell. adnotat. ad Prudent. Cerne, quam palam feroces hic domantur dæmones &c. Prudent. Periſteph. Paſſ. I. 97. p. 92.

Digitized by Google

§. 65. CONSTANTIA. *Subject. Tartari*, qui ne minimam quidem patiuntur mutationem aut confusionem. Eadem utuntur lingva, idem ipsis vestitus, iidem mores, eadem belligerandi ratio, quæ ante aliquot annorum millia viguit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 79. Ejus contrarium INCONSTANTIA. *Ubi locum habeat inconstantia: in bonis fortunæ.* Osmanus ex Imperatorio solio, dum Europam Christianam subjugare cogitat, defertur ad carcerem: Mustapha, quem jam pereundi necessitas constringit, ex carcere vocatur ad imperium. Kuszewicz narrat. legat. Zbaravianæ p. 26.

§. 66. HISTORIA. Officium circa eam: *scribere illam debent viri docti*, quales fuerunt, qui historiam Ecclesiasticam, centurias vulgò Magdeburgenses adornarunt. Sunt autem *ii*, Matthias Flacius, Nicolaus ab Ambsdorff, Nic. Gallus, Martinus Copus Med. Doct. Joh. Wigandus, Ebelingus Alemannus, Matthæus Judex, Basilius Faber, Marcus Wagnerus. Zeumeri Vitæ Profess. Theol. Jenens. p. 36.

§. 69. EMENDARE. *Casus emendationis: exploratio, quid homines de nobis sentiant.* Ludovicus Rex Poloniæ nonnunquam dissimulato habitu vicos & oppida perlustravit, ut cognosceret, quid de Publicanis & exactoribus, Judicibus & Magistratibus suis, ac de se denique vulgus hominum assentandi nescium sentiret, multaque ex horum sermonibus in se suisque corre-

correxit & caſtigavit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 22. 23.

§. 71. MAGIA. *locus, ubi culta: Theſſalia.* Theſſalides ob veneficia infames ex Medeæ diſciplina. Horat. l. 1. od. 27.

quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis - poterit.

Eâdem. PRÆSTIGIÆ vel Præſtigiatores. Effectus ſive opus eorum: *deglutiunt res ignitas.* Anno 1688. veniebat Wittebergam pyrophagus Gregorius de Tours, qui accenſa φλογιστῷ, picem, ſulphur &c. non ſine ſonitu per guttur exaudito, devorabat: ceram, qua epiſtolas ſignamus, liquefactam lingva excipiebat ſine noxa. Tangebat prunas veluti per ludicrum. Anno 1677. d. 15. Februar. coram Rege Galliarum univerſaque aula edidit artis plurima ſpecimina. Fœmina etiam Aurelianenſis aliqua, Gregorii diſcipula, impunè paſſa liquefieri ceram Hiſpalenſem in lingva. *Inventor artis iſtiusmodi ignivomæ: Richardſonius Britannus*, ſed non primus. Busbequius vidit Turcam quendam monachum ignem devorare. epiſt. 4. vidit porro in foro Veneto circulatorem plumbum igne liquefactum contrectare, eoque ſine offenſa tanquam manus lavare Kirchmaierus ad Joh. Dan. Majorem epiſt. p. 114. 115.

§. 73. LEX. *Auctores legum*, ſive *quibus lex fuerit tributa:* Mos fuit leges & mandata, ſi plures unô imperarent, omnium ſimul nomine edo-

re ac promulgare, etiamsi ab uno proficiscerentur. Cellar. ad Panegyr. Vet. p. 75.

§. 74. DIVINATIONES. Species: *divinationes recentiores de successione Regum quorundam.* De Regibus Poloniæ ab Henrico Valesio extant vaticinia successive hactenus impleta. *Flos de valle*, quo indigitatur Henricus Valesius, florem lilium in armis gerens. *Corona:* Stephanus, nam hæc vox apud Græcos coronam significat. *Exul fortunatus:* Sigismundus III. paterno enim ac hæreditario Sveciæ regno cum exutus fuerit; fortunatus, quod alibi, scilicet in Polonia, regnum tenuit amplissimum. *Gloria succedens:* Uladislaus. nam Slawa gloriam idiomate Polonico exprimit. *Manipulus sterilis:* Johannes Casimirus qui in insignibus gessit manipulum, & sterilis decessit. *Noctis breve situs:* Michael Rex, quippe lunam, quæ est noctis sidus, in armis gessit, & brevi tempore orbi Polono luxit. Nam quinto anno desiit. *Manus congregatorum:* Johannes III. Nam manu sua congregatorum in comitiis electionis ordinum, ut Archimareschallus regni scipionem gerens, moderamen tenuit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 4. seqv.

§. 74. SIBYLLÆ. *Causa impellens eas ad vaticinandum: vis quædam cœlestis.* Quicquid mysteriorum, verbi causa, de Christo protulerunt, illud neque ex sacro codice, neque usu consvetudineque Hebræorum, neque fama, neque

que Diaboli instinctu, verum cœlesti aliqua vi ac numine plane singulari perceptum vates habuerunt. Ne cui dictu id nefas videatur, consideret, quæso, Bileamum atque Caiapham, quorum alter ceremoniis religionibusque Deorum inservivit, alter injurias Servatori morti vicino fecit: utrisque tamen imprudentibus nolentibusque voces plenas memorabilium, ex ipsorum ore scimus exisse. Huc etiam somnia Pharaonis, Nabuchodonosoris, Pilati uxoris satis commodè referuntur. Argumento nunc ex l. 8. orac. Sibyll. sit illustris acrostichis: Jesus Chreistus, Servator, Crux; ubi è versuum Principiis, quos politè reddidit Latinè Sebastianus Castalio, collectæ literæ talem sententiam pulcherrimè contexunt. Vid. G. Gvil. Kirchmaieri programma de orac. sibyll. subnexum epistolis ad Parentem datis p. 218. 219.

§. 74. ORACULA. Ad *causam instrumentalem* pertinebat cortina, quæ in oraculorum sedibus operculum erat tripodis, cui insidebat Pytho sortes elocutura. Cell. ad Prud. p. 285.

§. 75. CONSILIUM. Adjunct. *vafrum & obliquum*, qualia dicuntur Mæandri. Cic. in Pison. cap. 22. *quos tum Mæandros, quæ diverticula flexionesque quæsisti?* Mæander fluvius Asiæ miris flexibus iisque retro sæpe curvatis labitur. Cellar. in Prud. Hymn. VI. Cathem. p. 41. *Locus, ubi capienda: non in propatulo*, ita, ut tam servi quam peregrini ea audiant, quemad-

modum id faciunt Javanenſes, qui rariſſime felici conſiliorum ſucceſſu fruuntur. Tappens itiner. p. 188. Conſeqv. boni conſilii ſive officium noſtrum erga bonum conſilium: *bonum conſilium ſequendum eſt.* quidam ſimiles ſunt aſino Horatiano, qui cum nec viam noſſet nec duci ſe pateretur, de rupe præceps actus eſt. Lampe in præfat. libr. de Cymbalis.

Eâdem. ADMONITIO. Adjunct. *Monitores curam habent noſtri.* Si quis amicè me monuerit, ex eo tanquam ſpecimine, me curæ illi eſſe, exiſtimabo. Lampe in præfat. libr. de cymbalis.

§. 77. GRATULATIO. *Subjectum operationis: interdum omnium ordinum homines, quando gratulantur viro ſummos honores conſecuto.* Primores, per mediam concionem agmine ingreſſi, cum novum Vezerum (Haſſeimum ſcil.) ſalutaſſent, ſecuta ex omni multitudine conſentiens vox, ratum nomen magiſtratumque Huſſeimo attulit. Cives munera gerentes circumſteterant aulam, feſtisque in Vezerum ominibus, ludos opulentius inſtructiusque quam olim aliis faciebant. Quidam candentem ferri laminam ceu chirothecam brachio induit, eamque per omnes intrepidè circum latam ante ſpectantium pedes excuſſit, incolumi manu omnibus demonſtrata. Denique opifices agreſtesque omnes, quorum res fidesque in manibus ſitæ erant, relictis operibus frequentarunt Vezerum,

ſua

sua necessaria post illius honorem ducentes. Ille gratulationibus adstantium accurrentiumque confertim omnium oppressus, communis benevolentiæ officia non hilarius quam modestius admisit. Kuszewicz narrat. legat. Zbaravianæ p. p. 142. 143.

Eàdem. INVIDIA. Effectus: *invidi nocent sibi & suis, ut alterius gloriæ detrahant.* Narseus Rex Persarum a Galerio Cæsare victus, a Diocletiano Augusto autem regnare permissus est. Adi Aurel. Victorem Schotti, qui invidiæ Diocletiani in Galerium tribuit, ne Persis sive Persia tum fieret provincia. vide Adnotationes Cellarii in panegyricos veteres 1. 10. 6.

§. 78. DIVITIÆ. Effectus: *non reddunt verè felices.* Si vera felicitas in opibus consisteret, asinus etiam utrumque latus auro onustus, felix foret. I. D. Major ad Kirchm. epist. p. 34. Consequ. *facile amittuntur.* Osmano Imperatore Turcico à Dautero vulnerato & à lictoribus suffocato, per Ianizarorum licentiam momento consumtum, quod tanti Imperatores à primis retro annis maximis impensis comparaverant, ærariumque quod sine fundo videbatur & in secula sufficere poterat, exhaustum. Kuszewicz narrat. legat. zbaravianæ p. 27. 28.

Eàdem. THESAURI. *locus: aliquando in parietibus absconditi hærent.* Walckenriethæ supra porticum monachorum fuit conclave ad deambulationes factum, ubi aliquando pueri

metam posuerunt tentantes, quis illam saliendo superare posset. Damius Ellricensis, unus illorum saltu quidem metam post se relinquit, loco autem in quem eum saltus detulerat, à sodalibus, imò a Rectore ipso accurrente dimoveri nequit. Rector magicum quid rei subesse animadvertens, jubet puerum oculos circumferre, an forte scripturam aut characteres quosdam videat. Is supra se conspicit circulum; in parieto lapideo, ortum versus sito, verba literis Græcis scripta; & in eo, qui versus Austrum erat, characteres aliquot, quos partim legit, partim Rectori describit; ex quibus is intelligit, in pariete thesaurum latere, & illum, qui eo tempore, quando id contigit, punctum in terra factum pedibus attingeret, scripturis visis latentia esse indicaturum. Rectore id cognoscente, puer liberè e circulo exit. Invenitur igitur vas lapideum pecuniâ tenuis monetæ, quartæ thaleri partis magnitudinem habentis, repletum; quod Zellas Duci Christiano Ludovico dono missum fuit. Anno 1687. D. Weitzius Medicus & Consul Gothanus cum aliis locum hunc invisum venit, virgulam divinatoriam secum habens, quæ in manus sumta vehementer quidem se inclinavit, præsentes autem subito terrore perculsi auffugerunt. Sensit enim quisque eorum, ut sibi invicem postea confessi sunt, vento quasi se peruri, & capillis usque ad superiorem conclavis

par-

partem raptari. Hercyn. curioſ. Behrens p. 193. ſequ.

Eâdem. FORTUNA. Adjunct. *inconſtans.* Brennus Dux Gallorum Senorum ad Alliam flumen victor, poſtea victus à Camillo Liv. I. 5, c. 38. ſequ. Conſequens: *facile mutatur.* Chamavos & Friſios barbaros, à Carauſio Pirata in Bataviam admiſſos, Conſtantius partim expulit ac delevit, partim captos per Gallias diſtribuit, ut ſervirent & agros colerent. Cellar. ad Panegyr. vet. p. 95. aliud Conſequ. *fortunam ſecundam interdum adverſa ſequitur.* Hali Baſſæ, qui inſulam quandam Hiſpanicam maris mediterranei occupaverat, humeris Cæſar cum aliis donis auream veſtem impoſuerat. E. Regia autem egreſſus Hali, circumfuſam Janizarorum multitudinem obviam habet, à quibus licet inſigni canitie venerabilis ad exitium poſcitur. Auctorem cædis in Armenia factæ, promotorem Abaſſii, proditorem contubernalium clamitabant: nec defenſioni locus. Ubi crudeſcere ſeditio & à convitiis ac probris ad tela tranſibant, periculorum gnarus jure jurando promittit, Abaſſium ſe illis intra Menſem traditurum. Sic mitigatis animis domum extremo jam die venit. Kuſzewicz narrat. legat. zbaravianæ pag. 148. ſequ.

Eâdem. FELIX vel FELICITAS. Adjunctum: *differtur interdum.* Anno 1699. ſcribit Joh. Chriſtianus Neumannus Profeſſoris hiſto-

hiſtorici extra ordinem à Principe indulgentiſſimo delegatum mihi eſt cum ſtipendio ordinarii, cum vix tunc ante menſem in monaſterio ad Blavum fontem docendi partes demandatæ fuiſſent. Ita longior expectatio improviſâ illa cataſtrophe compenſata fuit. Hujus felicitatis etiam non minimam acceſſionem reputo auſpicatum matrimonium, in quo nata nuper admodum proles parentem me fecit. epiſt. ad Kirchmaier. p. 92.

§. 79. TESTAMENTA. *Subjecta, quibus teſtamento res noſtræ interdum leganda: loca publica, deficientibus quam maxime hæredibus legitimis.* Joh. Michael Dilherrus numismata plurima, quæ longo tempore collegerat, aurea, argentea & ærea per teſtamentum collegio Sebaldino donavit, una cum Bibliotheca ſua, quæ Jena diſceſſit, 104. Centenarios ponderans, 14. currus expleverat; ſed per 30. annos deinceps multo locupletior reddita fuerat. Tres etiam ſcholas, Themarenſem, Meiningenſem & Schleuſingenſem largis donationibus ditavit. Duo quoque ſtipendia conſtituit, unum pro ſtudioſo Theologiæ, Philologiæ & Philoſophiæ, alterum illis, qui cognitioni Juris aut Medicinæ operam dant: hac conditione addita, ne Gymnaſii Schleuſingenſis diſcipuli poſt haberentur. Zehmeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 169. *Finis: cura pauperum.* In teſtamentis Bataviam incolentium primum ratio pauperum ſive orpha-

phanotrophiorum habetur, &, si hoc negligeretur, testamentum facili negotio posset mutari. Tappens itin. p. 204.

§. 80. COMMERCIA. *Modus exercendi commercia: librâ utendo.* In China nihil venditur, quod ad libram non appendatur, sive sint gallinæ, sive lac, lignum, rapæ. Tappens itin. p. 144.

Eâdem. MERCATURA. Locus, ubi culta: *celebris in insula Delo mercatus fuit.* Cic. pro Leg. Man. c. 18. Delos in mari Ægæo posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus comeabant. Plin. XXXIV, 2. Mercatus in Delo concelebrante toto orbe.

Eâdem. NUNDINÆ. *locus:* Chlopigorod urbs provinciæ Rostovienſis, celebris est ob nundinas a magna hominum copia frequentatas, in quibus [illegible] mutationibus negotiationes instituuntur. Hennin. adnot. ad itin. Brand. p. 401.

Eâdem. MONETA. Species: *Philippi*, moneta Græca Macedoniæ Regis imaginem præferens. Horat. l. II. epist. 1. v. 234. vocat regale numisma Philippos. Prudent. Peristeph. Pass. II. 101.

Nec, cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit.

Usus: *illustrant antiquitatem.* Breviaria antiquitatis (inquit Lud. Henr. Lomenius Briennæ Comes, Gall. Regi Lud. XIV. olim a Consiliis, epi-

epistolis & actis) sunt numismata, fax historiæ, supplementa priscæ fidei vacillantis, latebrosæ lectionis condimentum. Kirchmaier. epist. ad Abbatem Gerardum p. 155.

§. 82. ITINERA. *Impedimenta itinerum: si ibi, quo eundum, sint dissidia; si per solitudines sit eundum, viis latronibus obsitis.* Zbaravius Cantimiri Legato respondet: nequaquam decorum muneri suo fuisse Constantinopolin ire, ob Janizarorum rebellionem adversus Cæsarem turbidis rebus, divisis studiis & magno omnium motu: addiditque Walachiam superiori bello consumtam, vastas solitudines, aditus viarum latronibus septos, & alia festinationis impedimenta. Kuszewicz legat. Zbarav. p. 47.

§. 83. VEHI EQUO. Adjunct. *equitantes ad equum concitandum, non semper utuntur calcaribus.* Philippus Pigafetta Vicentinus Castalioni dixit, cymbalum in Persia catenulis ex bacillo, pendentibus solere pulsari, moremque esse ibidem, equos non calcaribus fodi, sed catenularum sonitu incitari atque impelli. Lampe de Cymb. II. 6. Sic etiam dicunt Polonos non uti calcaribus.

§. 87. JUS NATURÆ. Effectus: *adjuvat jurisprudentiam.* Conringius inquit, ex tali studiorum genere, (tractandis nempe libris Hug. Grotii de jure belli & pacis) plus accedere Jurisprudentiæ, quam ex tetrica & spinosiore anxiâque legum Romanarum contemplatione, nihil

Digitized by Google

nihil interdum ad ornandum juvandumque uſum vitæ pertinente. epiſt. ad Kirchmaier. p. 11.

Eâdem. JURAMENTUM. Officium noſtrum in illo: *ſancte jurandum ob pœnam, quæ perjuriis incumbit.* Churlandi ruſtici ſiniſtrum pedem ſilici imponere, dextro genu terræ incumbere, ſiniſtra manu albicantem baculum tenere, in capite faſciculum virentium fruticum geſtare, digitisque duobus ſurſum ſublatis juramentum præſtare coguntur, dicturi quaſi: ſi perjurium committo, non recuſo, quin indureſcam ſicut hic lapis, areſcam ſicut hic baculus, ſin verum eſt, quod juro, faxit Deus, ut viteſcam, ſicut ille faſciculus. Brand. itin. p. 80. 81. Lettones ad Rigam jurantes imponunt capiti ceſpitem, manuque tenent album baculum, indicantes, ſi perjurium committant, ſe velle, ut ſui pecoraque ſua areſcant, nigreſcant & ad paupertatem redigantur. Hennin. adnot. ad itin. Brand. p. 341.

§. 88. FIDES. Objectum ſive *perſonæ, quibus fides debetur: ſunt virtute prædiri.* Cum Sigismundus I. Poloniæ & Vladislaus Hungariæ Reges a Maximiliano Imperatore, cum quo convenerant, Viennam invitarentur, & Magnates Ungari rem ſuſpectam haberent, atque ſic conſultaretur inter ipſos Polonos, quid potiſſimum ſequerentur, Sigismundus ſententiam rogatus, nunquam ſe in fide & virtute Maximiliani Cæſaris hæſitaſſe dixit. Se regno ſuo egreſſum, ut

tanti

tanti Principis conſpectu & colloquio frueretur. Iturum ſe, quo ille juberet: intrepide ducturum ſe Vladislaum fratrem & ejus liberos, reducturumque. In id vadem ſe pro fide Cæſaris ponere. Poſtero igitur die iverunt Viennam, unde poſt quatuordecim circiter dies inter mutua propenſiſſimæ voluntatis teſtimonia atque etiam lachrymas diſceſſere Chwalkowski Effata Regum Poloniæ p. 62. 63.

§. 89. IGNAVIA. *Officium erga ignavos: ſunt ad labores impellendi.* Animalculum quadrupes Zuyart pedes poſteriores incedendo trahit, vixque loco ſeſe movet. Canibus autem impetum in id facientibus, egregiè pedibus ſuis utitur. Tappens. Itin. p. 182.

§. 91. AGRICULTURA. Cauſa ſive *inventor:* Triptolemus Cereris alumnus. Cell. ad Prud. p. 481.

Eadem. FRUGES. Conſequ. ſive officium erga fruges: *ſunt cuſtodiendæ.* Medium cuſtodiendarum frugum eſt *poſitio ſtramineorum priaporum.* Grues agricolis Ægyptiorum & Æthiopum, in quorum vicinia Pygmæi collocantur, agros depaſcebantur. Illi ergo agricolæ varia machinabantur, quibus abigerent grues. Paſſim enim fictis homuncionibus ſeu Priapis arva muniebant in terrorem avium: quod ubi viderent peregrinantes, iidem qui ex equitum conſpectu Centauros ſibi finxere, potuere ſibi aliquod Pygmæorum, quos illos ſtramineos mirmillo-

millones existimabant, cum gruibus fingere bellum. Deinde cymbalis utebantur non classici loco, sed ad abigendas grues. Lampe de Cymb. III. 18.

§. 92. MOLENDINA. *Locus:* sub Janiculo aquariæ molæ, nam neque hæ ignotæ Romanis Vitruv. l. 10. c. 10.

§. 95. VENARI. *Modus venandi Sapheros sive Zobelos.* Zobeli cum felibus majoribus nigris comparari possunt, capiunturque mensibus Novembri, Decembri usque ad d. 18. Januarii. Canes eos investigant, & quando se sub arbustis, frondibus aut truncis arborum abscondunt, rete illis ponitur, eoque capti fustibus occiduntur. Si autem in arboribus refugium quærant, canes circumstantes eos semper allatrant, indeque sagittis in acie hebetibus dejecti, venatoribus offeruntur a canibus. Venatores pedes firmant in assere duas cum dimidia ulnas longo, & quatuor cum dimidio digitos lato: cujus medium pro modulo pedis dimidio digito depressius est reliqua superficie, instructumque duobus foraminibus, per quæ pes asseri alligatur. Extremitates ejus in acumen desinunt & in altitudinem vergunt. Vocantur ejusmodi asseres calcei contra nivem: Veteres Dani vocarunt eos *Ondrur*, Islandi appellant eos *Andrur* vel *Skydi*, Finnones *Sukśi*, Russi *Nartos*, Norwegi *Sküer*, Sveci *Skidher*. Talibus ornati celerrimè supra nivem incedunt, ut vel equum currendo

ante vertere poſſint. Manu præterea venatores gerunt baculum in inferiore parte latum cum clavo extante. Quidam zobelorum, vorantes panem certo modo præparatum, moriuntur. Fumus etiam excitatur ſub arboribus, in quibus zobeli verſantur, quem illi non ferentes decidunt, & ſic in manus venatorum perveniunt. Vid. Brandii appendicem ad deſcriptionem Siberiæ Albrechti Dobbens p. 304. ſequ. & Hennin. Adnot. 449. 450.

Eâdem. CAPTURA AVIUM. *Modus anates capiendi:* lacubus, ubi anates ſylveſtres commorantur, Indi injiciunt ollas, quæ ibi à ventis huc illuc agitantur. Anates aſpectus harum adſvetæ eas non timent. Indi igitur capiti ſuo indunt ollam, binis foraminibus, ut viſui pateat via, inſtructam, natantque, donec ollas, inter quas anates reperiuntur, attingant, earumque pedibus arreptis, quantum cupiunt, ſub aquas trahunt, atque cingulo, quod circumjectum habent, eas corpori ſuo appendunt. Tappens Itiner. p. 105. 106.

§. 99. FRUGALITAS. Effectus: *firmat res noſtras.* Nonnulli Procerum Turcicorum, largis epulis vinoque excepti, læto cantu hoſpitium Legati nocte complebant, contra veterem diſciplinam & inſtituta Majorum, apud quos frugalitate quam epulis res Otthomanica melius ſtetit. Kuſzewicz narrat. Legat. zbaravianæ p. 101.

Eâ-

Eâdem. AVARITIA. *Adjunct.* Avari mancorum more curvatas manus adhibent, volam ſinuatam, aduncos ungves; ita ut nervos intendere nequeant. Prudent. peri ſteph. paſſ. II. 241.

- Hic avarus contrahit
Manus recurvas in volam,
Plicans aduncis ungvibus
Laxare nervos non valet.

Aliud adjunct. *periculoſa.* Urbe Cadiri capta, milites ſpoliando argento ex loco, ubi ejus copia continebatur, operam dabant. Accedebat eò quidam corbem ferens, quam etiam nummis replere cupiebat; cumque jam manum operi admoviſſet, ſuperior pars nummorum cum impetu in eum cadit, quorum multitudine oppreſſus ſuffocatur. Tappens itiner. p. 176. *Effectus vel actiones avarorum: eripiunt pauperibus ſua,* ſpecies aliqua avium rapina viventium, quam Hollandi *Kickendick* appellant, militibus caſtellorum cuſtodibus, prætervolantes, cibum appoſitum vel ex patinis vel etiam e manibus eripiunt. Tappens Itiner. p. 107.

§. 100. LIBERALITAS. *Subjectum: Reges.* In Uladislaum IV. Poloniæ Regem hoc factum anagramma:

Ladislaus
das villas.

Digitized by Google

Casus an ingenium, mens an præsaga futuri.
Transpôstis literis hoc Anagramma dedit?

Das villas, *capio non parci principis omen,*
Principis est virtus magna, juvare suos.

Vide Singul. Polon, Chwalkowski p. 74. Effectus: *liberalitas liberalitatem provocat.* Adamum Kazanovium, postea Curiæ Regni Marescalcum, Vladislao IV. adhuc dum adolescenti adeo percarum fuisse memorant, ut Sigismundus III. pater filio, ne annulum quidem sibi a matre datum retinenti, eumque Kazanovio donanti, prodigalitatem exprobrare necessum habuerit; ea vicissim civis in liberalem Principem animi testificatione, ut Kazanovius divendito, quantum habebat, patrimonio, ærarii Principalis angustias suppleret è privato censu. Inde miratus aliquando Vladislaus ejus in se affectum, quærierat! Itane vero Kazanovius sui causa patrimonium decoxisset? cui ille: Sic fortunam meam tecum Princeps conjunctam velim, ut te favente indigens esse non possim, absque te dives fieri nolim. Chwalkowski Effata Regum Polon. p. 103. 104.

Eadem. DONATIO. *Species: donalegato data.* Vezerus domesticum publico adjunxit fœdus, equo Turcico, & vase balsami & aliis pretiosis oblatis mox abituro Legato. Qui dignum quoque famâ suâ ratus, qua nemo illa tem-

tempeſtate Legatorum munificentior habebatur, gemmatum magna ſpecie annulum Vezero; veſtem Domus ejus præfecto, donavit: licet ei jam anguſtè ab ærario eſſe cœperat. Kuſzewicz leg. zbar. p. 169. 170. Effectus: *non ſemper homines nobis faventes reddit.* Doloſos homines ſicut impura corpora, quo magis nutrias, eo magis lædas. Kuſzewicz legat. zbaraviana. p. 125.

§. 101. FURTUM. *adjumentum:* Laverna a furibus invocata. Cell. ad Prud. pag. 479. Conſequ. *pœna.* Philippo Padnievio an. 1559. recenter Procancellario creato, Sigillum regni, torqui aureo appenſum, ex conclavi furto ablatum eſt. Rex Sigismundus Auguſtus certior ea de re factus ab initio attonitus ſtetit. Deprehenſus poſtea fur ille ſigilli, candenti ſigillo ferreo per urbis Cracovienſis compita lancinatus, laqueo vitam finivit. Sing. Polon. Chwalkowski p. 88. 89.

Eâdem. LATROCINIA. Conſequ. *mirabili ratione deteguntur.* Cum magiſtratus Cracovienſis Regi Johanni Caſimiro anno 1649. fidelitatem præſtitiſſet, & deinde, poſt feſtivos nocte exhibitos ignes, miniſter triclini Mareſchalci Kazanovii ad hoſpitium remearet, à globo ſatellitum intercipitur, ac in prædam rapitur. A natura implicito lingvæ vinculo erat, nec immeritum caſum deprecari, vel cujusnam eſſet effari, aut ſuppetias poſcere mutus potuit. Dum autem diſcingitur veſtibus, argento facto

Digitized by Google

variegatis, latrones amplexatus gypſo ad manum ſumto apponit ſpoliantibus notas, deſignatque auctores prædæ, non niſi in craſtinum valituræ. Sequens dies itaque prodidit aſteriſcis notatos: unde liquida probatione, res ſuas mutus in integro reſtitutas habuit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 91. ſequ. Aliud Conſequens: *frigore puniuntur.* Poſtquam Turcæ ſub Rege Alberto anno 1499. menſe Octobri in Ruſſia igne ferroque graſſati eſſent, inopinatò prædatoribus frigus adeo intenſum nivesque adeo profundas Deus immiſit, ut ad quadraginta Turcarum millia obriguiſſe ac periiſſe tradantur. Nonnulli equos mactarunt, alii in exenteratis eorum ventribus calorem quæſiverunt; multis etiam, qui inclementiam aëris evaſerant, in Moldavia ab incolis ipſis, habitum Polonorum mentitis, miſera vita erepta eſt, adeo, ut ex ſeptuaginta millibus vix decem mille domum reverſi ſint. Singul. Polon. Chwalkowski. p. 67.

§. 102. HONOR. ſubjectum honorum: *deterioris ſortis homines interdum honores conſequuntur.* Præfectura Indiæ conferebatur Domino Rykloff de Goens, qui ad artem arma fabricandi deſtinatus erat: cum autem malleo tollendo impar eſſet, in Indiam navigabat, ubi Deus ita eum extulit, ut etiam Indorum Reguli ipſi ſe incurvarent. Tappens Itin. p. 157. Officium erga eum: *nimium non eſt recuſandus.* Salomo-

lomonem Glaſſium facultas Theologica Jenenſis dignum judicabat, cui Doctorales honores offerret. Sed cum ille omni ſtudio reluctaretur, Domini Profeſſores per literas, ad Illuſtriſſimos Comites Schwartzburgenſes ſcriptas, effecerunt, ut per mandatum ſingulare ei, ne reluctaretur amplius, ſed bene conſulentibus obtemperaret, fuerit injunctum, ſumtibus etiam ad id neceſſariis ex ærario publico deputatis. Quo facto anno 1620. circa finem, ut & initium anni ſequentis, examina ſuperavit, concionem inauguralem & diſputationem habuit, & ſic præſtanda præſtitit: ipſa autem doctoralis promotio certis de cauſis ad annum 1626. fuit dilata. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 155. 156. Officium noſtrum in eo: *in honore conſtitutis diſpicienda ſunt calamitatibus futuris remedia.* Perſcriptum legato Polonico in patriam revertenti ab Huſſeimo, quod priſtinum honorem Dziurdzius largitione & ambitu iterum mercari nec ſine exitio Legati voluiſſet. Se in Ægyptum trajicere velle ſignificavit: haud inuſitato hodieque conſilio Vezerorum, qui memores, *potentiam apud Otthomanos raro conſeneſcere*, & non minus certo interitu gratiæ expectandum eſſe finem quam vitæ, naves ſemper paratas habent, ut liberum habeant in ſupremis caſibus in Ægyptum perfugium. Kuſzewicz narrat. legat. zbaravianæ p. 171.

§. 103. CONVERSARI CUM ALIQUO. Officium in converſatione: *malorum converſatio fugienda.* Provincia *Wiatkien* prope regnum Caſan ſita multos adhuc complectitur Paganos, ſolem & lunam adorantes, quibus introitus in urbes Ruſſorum non permittitur. Hennin. adnot. ad itin. Brand. p. 397.

§. 106. ELOQUENS ſive Eloquentia. *Subject. M. Cornelius Front*, qui inde a Trajani ævo clariſſimus orator & Marco Antonino Magiſter eloquentiæ fuit, non minor Cicerone; ſed eidem par eloquentia & quaſi alter Tullius extitit: cujus imitatores Frontonianos Sidonius l. 1. epiſt. 1. dixit, perinde ut Ciceroniani dicuntur a Cicerone. Cellar. ad Paneg. Vet. p. 101.102. Effectus: *conciliat nobis favorem hominum.* Johannes Major facundia ſingulari excellens d. 16. Februarii anni 1589. D. Georg. Mylium Theologum, ex Leucorea in Salanam ad capeſſendam ſpartam Theologicam adventantem, nomine ſtudioſæ juventutis magno numero obviam procedentis in ſaliceto, ut vocant, ad pagum Löbſtedt ſub dio tanto cum applauſu gratulabundus excepit, ut D. Mylius propenſo amore exinde ſemper ipſum fuerit proſecutus, adeo, ut, cum anno 1592. ineunte a Sereniſſ. Pro-Electore Sax. Friderico Wilhelmo Wittebergam ad viſitandas Eccleſias tam ibi quam alibi in Electoratu abiret, Majorem ſibi itineris comitem elegerit

& aliquot per menſes ſecum habuerit. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 128. 129.

Eâdem. ORATIO. Adjunct. *non debet eſſe nimis longa, præſertim apud perſonas Principes.* Chriſtina Sveciæ Regina iraſci ſolita longis chriis, quas interdum legatorum quidam proloquebantur. Boineburg. epiſt. ad Dieter. p. 73.

§. 107. VALEDICERE. *Adjunct. valedicentium: venire in locum, per quem aliquis iter facturus eſt.* Adventu zbaravii legati ad Turcas audito, intimus quisque amicorum, & plerique militares, ut quisque ſub zbaraviis, Viſnievieciis, Czertevinſciis ſive virtutis ſtudio ſive mercedis cauſa militaverant, venere Camenecum; & quævis ibi comitatis Officia utrinque oblata ſunt. Kuſzewicz narrat. legat. zbaravianæ p. 39.

Eâdem. EPISTOLÆ. *Cauſa inſtrumentales perferendarum epiſtolarum: miniſtri vel tabellarii.* Literæ Regum Poloniæ usque ad annum 1647. ferebantur per aulicos miniſtros, quo res poſtularet, ita ut in præfecturis regiis, vehicula darentur. Sed dicto tandem anno abolitum id onus, & conſenſu ordinum ad aliarum nationum morem tabellarii publici (poſtæ vulgo) conſtituti ſunt. Singul. Polon. Chwalkowski. p. 90. *Materia: judicia de viris doctis,* ſi non in epiſtolis reperiuntur frequentia & bene ordinata, omni deſtituuntur nitore. In

epistolis ad amicos familiaribus de morte eruditorum, de eorum operibus editis & ineditis, de litigiis, de omni re eruditorum spissus est sermo faciendus. Boineburg. epist. ad Dieter. p. 276. Adjunct. *prolixitas, cujus causa est eruditio scribentis.* Boineburg. ad Dieter. pag. 268. 269. ita scribit : Salmasius spissas mihi misit literas, egregiæ rei plenas. Non potest enim vir diffusissimæ lectionis nisi docte scribere commentarique si epistolam ad amicum scribere instituit, occurrentium rerum multitudine oppressus librum mittit; & tales singulis fere horis in omnem Europam doctam, quæ certatim uberrimum ejus ingenium, memoriam divinissimam & judicium acerrimum admiratur ac suspicit cultu maxime religioso.

§. 108. IOCI. *Materia jocorum: exstructio mirabilis cujusdam reipublicæ.* Sub Rege Poloniæ Sigismundo Augusto instituerunt Nobiles quidam in terra Lublinensi societatem quandam, quam remp. Babinensem vocabant, quod auctore loci cujusdam Babin dicti domino, illa res publica potissimum stabilita florebat. Significat autem vox *Baba* Polonicâ lingva anum, & *Babineid*, quod ad anum pertinet. Jam jocos lususque vulgo vocare solent aniles nugas. Homines igitur lepido & amœno ingenio præditi rempublicam Babinensem, id est sedem principalem omnium facetorum, qui miscentur, sermonum istam societatem appellarunt.

runt. Imitabantur autem ii, ex quibus ipſa conſtabat, ipſius reip. Polonæ conſtituendæ rationem: Regem & ſenatum ſibi deligebant, item Archiepiſcopos, Epiſcopos, Palatinos, Caſtellanos, Præfectos oppidorum & militiæ & Cancellarios. Quemcunque in conviviis & conventibus celebrioribus obſervaſſent in aliquo genere dictorum aut factorum præter modum excellere, eum maxime idoneum ad obeunda munera ei rei conſentanea cenſebant: v. gr. multus erat quispiam in ſermone de ſublimibus rebus & ejus conditioni minime convenientibus, hunc aut Archiepiſcopum aut aliquem magnum Satrapam faciebant. Si quis vel ſermone lapſus, vel aliam ob cauſam paradoxon aliquod, ſeu perdifficile creditu, in medium attuliſſet: hunc aut Rhetorem aut Cancellarium reip. ſuæ conſtituebant. Qui de canibus, feris, falconibus non tempore ſuo aut loco paulo fuſius verba faciebat, hunc ſtatim aucupem & venatorem Babinenſem faciebant. Si quis de religione ſupra modum ad menſam diſſerebat, mox eum concionatorem Babinenſem pronunciabant. Quare ad mores corrigendos, ad ſermones caute miſcendos, ad civilitatem modeſtiamque in junioribus formandam jocus & urbanitas illa plurimum pertinebat. Singul. Polon. Chwalkowski p. 112. ſequ. ubi pluribus non ſine elegantia hanc ludicram rempublicam deſcribit.

Eadem.

Eâdem. EMBLEMATA proprie ſunt *figuræ in vaſis argenteis cælatæ.* Plinius 33. Cap. 12. Bacchæ centaurique cælati in ſcyphis: Ulyſſes & Diomedes erant in phialæ emblemate, Palladium ſurripientes.

§. 109. VERITAS. Officium erga eam: *etiam invitis magnatibus defendenda.* Inter Sereniſſimos Carolum Ludovicum Electorem Palatinum & Conjugem ſuborto frigore, hac miſſa moliebatur Elector aliam ducere; Johannemque Fridericum Bokkelmannum, Conſultiſſimum Virum incœpti æquitatem, pluresque dari cauſas matrimonii diſſolvendi legitimas, quam quas dedit ſcriptura, jubet defendere. Erat in diſputatione præſens Elector: fecit tamen amicior veritas, amabilior Deus, ut publicè contra niteretur Fridericus Spanhemius iis rationum momentis, quibus facile innoteſceret, eruditiſſimum Præſidem omnibus parem, cauſa ſola inferiorem fuiſſe. Ex Parentatione Spanhemio habita a D. Jacobo Triglandio citat. Tentzelius curioſ. Biblioth. repoſ. 1. loculo II. p. 111. 112.

Eâdem. TACITURNITAS. Conſequ. *indicat prudentiam.* Taſſus Poeta Italus, cum in corona magnorum hominum nihil diceret, & hoc in ſignum inſaniæ ab aliquibus acciperetur: falſi eſtis, inquiebat, Domini, cum inſanus tacere neſciat. Artibus, enim malevoli, ſub perſona Mopſi magnopere olim exagitati cir-

Digitized by Google

circumventus, melancholia quandoque infeſtabatur. Actor. Erud. ſupplement. Tom. II. p. 25.

§. 110. RIXÆ. Conſequ. *ſunt nobis dedecori.* Boineburg. epiſt. ad Dieter. p. 84. 85. refert, ſe rogaſſe Calixtum, ſibi parcat, eccleſiæ, reique publicæ; neque clamoſis obtrectatoribus quicquam porro reſpondeat: adjecto, fore, ut, ſi rixis implicari ſe ſinat, iis collutuletur, ſimulque graviter in publicum peccet.

§. 111. EFFERRE vel EFFERRI. *Conſequ. eorum, quos fortuna ſubito effert: lapſui ſunt propinqui.* Dauterus, qui primus Osmano vulnus inflixerat, quemque Janizari ſupremo judicio præfecerant, a Primoribus quibusdam ante metum capiebatur, neceſſitateque extrema ad mortem agebatur. Uxore autem, quæ erat ſangvinis Otthomanici, pro eo intercedente, loco ac dignitate motus, dedit exemplum, propius a caſu nos abeſſe, quo ad culmen aſcendimus altius. Kuſzewicz narrat. legat. zbaravianæ pag. 33. 34.

§. 113. SOCIETATES MAJORES. Effectus: *avertunt injurias ab hominibus*, ad ducentos, vel trecentos elephantes ſimul congregatos ad jactum ſclopeti minoris usque homo ſine periculo accedere poteſt. Tappens itiner. p. 37.

§. 114. IMPERATORES. *Officium circa eos:* Mos fuit novi Imperatoris imaginem laurea-

laureatam in civitates dimittere, ſuamque Conſtantinus Romam miſit, ubi Maxentius agebat; quam hic & alias ad illam expreſſas dejecit orto diſſidio, ac fœdè deturpavit. Cell. ad Paneg. vet. p. 247.

Eâdem. REGES. Officium: *uni præſint regno.* Cum Florianus Epiſcopus Cracovienſis & Johannes Strelcius Cancellarius Regni Poloniæ A. 1370. nomine Reip. Ludovico Hungariæ Regi offerrent Regnum Poloniæ, iſte cunctatus dixit: ſicuti ne duobus quidem gregibus expediat unum habere paſtorem, ita duas reſp. vix ſine alterius incommodo ab uno adminiſtrari poſſe. Venit tamen, & aſſumſit Sceptrum Polonicum. Chwalkowski Effata Reg. Polon. p. 44. 45. Aliud officium: *ipſi expeditionibus bellicis adeſſe debent.* Leſcus Albus, cum Nicolaus Palatinus Cracovienſis deſtinaretur copiis militaribus ad Haliciam cum Regno Poloniæ uniendam, dixit: ſe velle deinceps armatum inter armatos viros verſari, &, quæ Principis eſſent munera, uſu condiſcere. Si adhuc nequiret alium, tamen eum ſe uſum in exercitu præſtiturum, quem ſigna ſua præſtarent. (ad vexilla enim milites concurrere eaque ſummo ſtudio defendere ſolent) Chwalkowski Effata Regum Polon. p. 34, 35. Aliud officium: *Regum eſt ſpretâ voluptate ſalutem publicam curare.* Boleslaus, Chrobri dicere ſolitus fuit. Malle ſe gallina veſcentem ſalutem atque tranquillitatem

tatem ſuorum tueri, quam deliciis indulgentem pati, ut quisquam vexaretur aut opprimeretur. Chwalkowski Effata Regum Polon. p.4. Aliud officium: *pauperum curam gerant.* Rex Golcondæ nunquam ante capit cibum, quam omnes pauperes ibi commorantes convocari, iisque in loco, cœnaculo ſuo vicino, cibum apportari juſſerit. Tappens Itiner. p. 88. *Tempus regiminis: interdum ſatis longum.* Sigimundus III. Poloniæ Rex, quotus in ordine regnantium, tot regnavit annos. Fuit enim quadrageſimus quartus Rex & 44. annos regno impendit. Singul. Polon. Chvvalkovvski p. 28. 29. Conſequ. *pœnis quandoque ſubjecti.* Conſtantinus Francorum Reges Aſcaricum & Regaiſum cepit, & beſtiis in ſpectaculo propter perfidiam objecit. Cellar. ad Paneg. yet. p. 119. Effectus: *potentia eorum clientes reddit tutos.* Tiberius (velut auctor eſt Heſychius) Potamonem rhetorem, repetiturum lares patrios, his literis dimiſit: *Potamonem Mitylenæum Lesvonactis filium offendere qui auſit, conſideret is, an mecum poſſit dimicare?* REGES ſive REGNA. Officium in iis adminiſtrandis: *non ſunt divellenda.* Multitudo Principum cum hoſtes ad invadendum audaciores, tum cives ad reſiſtendum infirmiores reddit: cujus rei aliquem guſtum Poloni ceperunt vexati impunè a Bohemis; qui non modo commovere ſe, dum penes unum fuit imperium, auſi non ſunt, verum etiam pacis conditio-

Digitized by Google

ditiones acceperunt. Neque diu quieta esse potest ab intestinis discordiis atque civilibus bellis ea resp. quæ a pluribus exequato dominatu non certis legibus sed arbitrio cujusque gubernatur. Dixit ergo Rex Poloniæ Vladislaus II, attributurum se esse fratribus aut definitos è fisco suo reditus, aut agros nonnullos & territoria, in quibus vitam honestè sustentare queant, nec tamen calcitrandi materiam aut occasionem habeant. Chvvalkovvski Effata Reg. Polon. p. 26. sequ.

§. 116. AULICI. Officium erga eos: *amantur a suis Dominis, & amici eorum dicuntur.* Aulici proceres & consiliarii, amici principum & Regum passim dicti. Cell. ad Paneg. vet. p. 175.

Eadem. AULA. Adjunct. *vita aulica periculosa.* Feri quidam Indiæ, *Bunuwa* nomine, sub exiguæ staturæ arboribus habitant, recusantes commorari sub altitudine conspicuis, quia multi eorum ab arboribus vi ventorum dejectis vita privati sunt. Tappens Itinerar. p. 43.

Eadem. PUBLICA. Officium in iis: *caute tractanda.* semel tantum & leviter in publicis errasse, id aliquando facere est, quod corrigi nunquam aut tolli potest. Kuszewicz narrat. legat. Zbaravianæ p. 98.

Eadem. COLLEGÆ. Adjunct. *æqualis sunt potestatis.* Plures Augusti simul imperantes

tes ſe invicem *fratres* dixere, quia æquali poteſtate, & veluti collegæ erant: Cæſares autem filiorum loco habebant. Cellar. ad Paneg. vet. p. 124.

§. 117. CONSUL. *Adjunct.* Apud Romanos Conſul Scipionem eburnum, cujus ſummitatem aquila eburna inſidebat, geſtavit. Juvenalis ſatyra X. verſ. 43.

Da nunc & volucrem ſceptro, quæ ſurgit eburno.

Prudent. periſteph. Paſſ. X, 48.

Aquila ex eburna ſumit arrogantiam,
Geſtator ejus.

§. 118. LEGATI. Adjunct. *non ſunt interdum ejusdem nationis cum iis, a quibus mittuntur.* Anno 1511. Lakowski genere Polonus in Polonia à Turcarum Imperatore legationem obiit. Sic anno 1569. Imperator Turcarum Selim expedivit ad Sigismundum Auguſtum Regem Imbraimum Straſz Nobilem Polonum renegatum. Singul. Polon. Chwalkowski p. 59. 60. Officium erga eos: *dona iis mittendæ.* In aſpectu omnium epulanti Zbaravio Legato à Vezero varii fructus miſſi: & poſtero die à cæteris Proceribus mala granata & alia, quorum fœcunda Conſtantinopolis, afferebantur, certatumque, ut omnibus officiis gratam ſibi legati præſentiam oſtenderent. Kuszevicz narrat. legat. Zbarav. p. 75.

§. 119. SUBDITI. *Medium ſubditos ac-*

quirendi ſunt arma. Erga tali modo acquiſitos autem *officium* noſtrum eſt, *ut armis eos in fide contineamus.* Boleslaus Chrobri præcepit filio Miecislao, in armis tractandis heroicum virum ſe exhiberet, aſſereus, nationes finitimas a ſe armis ſubactas, niſi potentia & armis in fide contineantur, facile jugum detrectaturas, & nervo ſubjectionis & obedientiæ, quo hactenus tenebantur, abjecto, rebellaturas. Chwalkowski Effatâ Reg. Polon. p. 9. 10.

Eadem. URBES. *Forma:* concinna urbis Cracovienſis effigies eſt, dum aquilam expanſarum alarum, quod eſt inſigne regni, exprimit; ſi nimirum corpus urbis per circumferentiam corpori alitis, ſuburbia ab utraque parte alis expanſis, caput vero alitis excello monti ſeu rupi *Vavelò*, quod paulatim aſſurgit, conferatur. Singuli. Polon. Chwalkowski p. 91. Adjunct. *ſplendor.* Florentia urbs digna, Caroli Auſtriaci, Archiducis judicio, quæ non niſi diebus ſolennioribus monſtretur, forte vulgo. Kirchmaierus ad Magliabechium p. 107. Concomit. *urbes in circulo circumjacentes.* Varſavia reſidentia (ſedes) Regis Poloniæ eſt centrum multarum reſidentiarum, ſcilicet Romanæ, Pariſienſis, Londinenſis, Moſcowiticæ & Conſtantinopolitanæ. Æquali etiam diſtantia, minori tamen ab illa ſunt urbes Stockholmia & Haga Comitis. Singul. Polon. Chvvalk. p. 93. 94.

Eadem

Eadem. MUNIRE. *Materia munitionis: aquæ.* Conſtantinopolis aquarum marinarum intercurſu in tres partes dividitur: quaſi ad propulſandam vim terra non ſufficeret, aqua etiam in conatus irrumpentium conjuravit. Kuszewicz narrat. legat. Zbaravianæ p. 61. *ſignum munitionis: ſepultura Principum.* Wittebergæ ingredientibus ſacram olim Franciſcanis ædem, cui cœnobium adhæret, apparebunt Alberti II, Rudolphi I, II, Wenceslai I, Rudolphi III, ſepulchra. Non dubium eſt, quin illi de familia Aſcaniorum omnes uſitatam tum eamque antiquam muniendi rationem adhibuerint; nec commiſiſſent corpora ſua Principes urbi, quæ intuta nudaque, defendere atque protegere neutiquam valeret concredita. G. Guil. Kirchmaier. diſſert. de Witteb. p. 231. 232. *Effectus munitionis: locum præſtat tutum.* Anno 1565. Melitę equitum Joannitarum inſula pertinaciter reſtitit extremæ Turcarum rabiei, ac impetum beneficio operum, quibus valebat, pertulit per menſes quatuor: repreſſit tandem & fregit, cum Hiſpanorum auxilio liberata fuerit ab obſidione. ibid. p. 253. cauſa, cur Galliarum Rex Ludovicus XIV. nondum ſit dejectus gradu, eſt, quod penetrare audentibus ad provinciarum viſcera oppoſita caſtella ſint ac propugnacula. ibid.

Eadem. MURUS. Adjunct. murorum: *quandoque arboribus conſiti ſunt.* Mœnia

Digitized by Google

Conſtantinopoleos perpetuo cupreſſorum ordine conſita, lateritio aggeſtu ſtructa ſunt. Kuszewicz narrat. legat. Zbaravianæ p. 64.

Eadem PONS. Adjunct. *longitudo.* Ad Lamthay eſt pons *quadringentos paſſus* longus Tappens Itin. p. 122.

Eadem. GEOGRAPHIA, ad quam pertinet tractatio de ÆQVATORE. *Accidentia circa æquatorem: pluit ibi interdum.* Sic Tappe in itinerario p. 8. refert, per biduum cœlo ingentem pluviam demiſſam eſſe, cum navigarent ſub æquatore.

Eadem. TABULÆ GEOGRAPHICÆ. *Locus, ubi olim viſebantur: porticus.* Videat in porticibus juventus & quotidie ſpectet omnes terras & cuncta maria, & quicquid invictiſſimi principes urbium, gentium, nationum, aut pietate reſtituunt, aut virtute devincunt, aut terrore. Siquidem illic, quo manifeſtius oculis diſcerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus ſuis locorum ſitus, ſpatia, intervalla deſcripta ſunt, quicquid ubique fluminum oritur & conditur, quacunque ſe litorum ſinus flectunt, quo vel ambitu cingit orbem vel impetu irrumpit oceanus. Panegyr. III. ſive Eumenii pro reſtaur. ſchol. c. 20.

*§. 120. TRIBUTUM. Officium in imponendo tributo: *juxta annos ætatis quandoque exigitur.* Circa Siberiam habitantes Czarioque

rioque ſubjecti, quando decem ſunt annorum, duos debent dare Sapheros ſive Zobelos; ſequenti ætatis anno tres: hoc abſoluto quatuor & ſic deinceps usque ad vigeſimum, quo ipſo & ſequentibus annis usque ad quinquageſimum ſingulis annis duodecim Zobelos tributi loco conferre debent. Hoc autem tributum poſt annum illum rurſus ſenſim minuitur. Albrecht Dobbins deſcriptio Siberiæ, annexa itin. Dn. Brand. p. 299. 300. Actiones circa illa: *gentes antea liberæ difficulter ad ea ſolvenda cogunturr.* Zbaravius ad Vezerum dicebat, ut Poloni tributum ſolvant, non magis expectandum, quam ut elementa rerum viribus humanis cedant. Kuszewicz legat. Zbaraviana p. 156.

§. 121. CONJUGIUM. Cauſa: *conventus magnatum tempore belli conjugiorum interdum occaſionem præbent.* Dum providentia Dei ad Viennam Lunæ Turcicæ parat occaſum, occaſionem fœderi Conjugali, quod Maximilianus Emanuel Elector Bavariæ cum Johannis III. Poloniarum Regis filia iniit, dedit. Dum victricia Chriſtianorum arma barbarum ſanguinem palam fundunt, pii ſanguinis nexus occultè ſtruitur. Vidit Invictiſſimus Chriſtianorum vindex Johannes III. Rex Poloniarum Maximus Maximilianum Electorem Bavariæ. Uterque alterius virtute capitur. Hic Regem ut patrem veneratur appellatque: Ille Electo-

rem ut filium amat. Post luctum enim thori vidui, habet ISTHIC MAXIMILIANUS EMANUEL ELECTOR BAVARIÆ per anagramma) NUNC LEVAMINA. IT E LECHIA TERESIA UXOR AMABILIS. Demitur M bono omine, mala esse abfutura. Sic & omen & nomen conveniunt. Olim 1475. Georgius cognomento Dives Dux Bavariæ Hedwigen Casimiri Jagellonidis Regis Poloniæ ex Elisabetha Austriaca Filiam in matrimonio habuit. Nunc insigne rebus Austriacis Hungaricisque allatum adjutorium, mutuum adjutorium (quo nomine sacræ literæ conjugem exprimunt) Serenitati Electorali affert. Princeps Mense nata Martio Martiali sociatur viro.

Conjuge Vir dignus, digna Virago Viro.

Verba sunt Domini Chwalkowski in dedicatione, qua Effata Regum Poloniæ Electori Bavariæ offert. *Causa impellens ad illud ineundum: generatio prolis.* Cum Boleslao Audaci Proceres suaderent, ut stirpi Regiæ per matrimonium prospiceret, respondit; etsi nondum attigisset ætatem, quæ tædas conjugales magnopere expeteret, satis quoque temporis ad onerandum se conjugali jugo restaret: vereretur insuper, ne amor futuræ sponsæ illum acrem, & ad bella gerenda, inferenda & repellenda ferocem animum efficeret languidum & remissum: petitis tamen Consiliariorum suorum satisfa-

cere

cere velle Chwalkowski Effata Reg. Polon. p. 18. *Modus ad conjugium perveniendi*: apud feros nomine *Bunuwa* meta ponitur, ad quam primum puella cursum dirigit juvene deinde sequente: qui si eam ante, quam ad scopum perveniat, comprehendit, jus nanciscitur eam ducendi. Tappens Itiner. p. 45. Officium erga illud: *non differendum ob colendam sapientiam.* Arabicum est diverbium: si ad unum omnes homines scientes ac perfecti essent, mundus in solitudinem redigeretur ac vastitatem. Boineburg. in epist. ad Dieter. p. 53. Effectus: *veram religionem apud infideles propagat, & diœceses conjungit.* Polonos Boleslai Bohemorum Ducis filia, nomine Dombrowca, anno 965. à Miecislao in matrimonium ducta, Christo adduxit: Lithuanos anno 1386. Hedwigis, quam in conjugium petebat Jagello, se & Lithuaniam ad Christiana Sacra offerens. Nec impediri poterat divinum consilium, quod in his Hedwigis nuptiis aliud novum Lithuaniæ cum Polonia conjugium moliebatur. Singul. Polon. Chwalkowski p. 62. Alius Effectus: *multa mala impedit.* Exarsit anno 1525. funestum rusticanæ seditionis incendium, cujus proceres Erhardum Schnepfium ob facundiam & quod cœlebs esset, militiæ suæ concionatorem dari petierunt, reclamantibus tamen civibus Wimpinensibus. Schnepfius quoque, ut periculum amoliretur, confestim conjugem sibi elegit

Margaretham Wurcelmanni Conſularis filiam. Zeumeri vitæ Prof. Theol. Jenenſ. p. 31.

§. 122. OSCULA. *Modus oſcula figendi:* Lithuani oſculis tribus ſe invicem ſalutant: duo ingerunt malis, tertium ipſi ori. Brand. Itin. p. 97.

Eadem. NUPTIÆ. *Concomitans: hoſpites præſentes.* Memorabiles nuptiæ ſunt, quas Caſimirus Magnus nepti ſuæ Eliſabethæ, ex Bogislao Pomeraniæ Duce genitæ, paravit. Adfuerunt iſtis ſolennibus præter ſponſum Carolum Imperatorem, quatuor Reges, nimirum Caſimirus M. Polonorum, Ludovicus Ungarorum, Sigismundus Danorum, Petrus Cypriorum Rex, Ponto & adverſo Iſtro in Valachiam, deinde terreſtri itinere per Ruſſiam advectus Cracoviam: item Principes alii non pauci, qui magnificentiſſimè habiti ſunt, durantibus usque in vigeſimum diem Nuptiis & Conviviis. Singul. Polon. Chvvalkovvski. p. 60. 61.

Eadem. UXOR. Effectus: *liberat quandoque à morte.* Bartholomæus Bernardi a Feldkirchen, qui nonnullis Velcurio appellatur, primus Sacerdos maritus Lutheranus à militibus Hiſpanis Saxoniam vaſtantibus in muſco ſuſpenſus, ſed auſpicato ab uxore liberatus fuit. Acta Erud. 1703. p. 336.

§. 123. CASTITAS. *Subject. Conjuges.* Poſt nuptias inter Boleslaum IV. Poloniæ Regem & Cunegundim Belæ Ungarorum Regis filiam, con-

consensum utrinque est in perpetuæ virginitatis sacramentum, unde Boleslao nomen Pudici inditum fuit. Singul. Polon. Chvvalkovvski p. 13. 14. Sub hoc Tartari ultra 20000. virgines abduxerunt p. 77.

Eadem. EUNUCHUS. *Causa, quod quidam se execuerint: cultus Deorum.* Galli in honorem evirati Attidis se execuerunt Lampe de Cymb. II. 16. Castravit autem illum Rhea. Lucian. de Dea Syria.

Eadem. COELIBATUS sive COELEBS sive *Hage stoltz. Nomen:* dicuntur ab *hagen*, quod est sepes, sepimentum, & *stult* seu *stalt* positus, quod non colant propriam domum, sed quasi ad sepes positi non habeant proprium larem. *Quid sint?* Hagenstolten vocantur in Ducatu Verdensi & Lüneburgensi mares adulti, separati à familia paterna, orbi parentibus, qui non ineunt matrimonium, atque ita absque legitimis hæredibus descendentibus obeunt, cum per ætatem & corporis vires possent conjugium inire; quorum hæreditatem capit fiscus. ex collectaneis Domini *à Staden* scribit id ad Kirchmaierum M. Tob. Eckhard. p. 85. *Jura:* in Bremensi Ducatu Hagestolziorum jura non valent. ibid. p. 85. 86.

Eadem. DIVORTIUM. Officium nostrum: *omni modo cavendum, ne divortium fiat.* Ordines Regni Sigismundum Augustum in Comitiis Petricovienſibus per Directorem

ſuum Petrum Borathynium rogabant, ut cum Barbara Ratziwilia uxore divortium iniret. Rex autem reſpondit: non eſt, quod me vobis fidelem ſperetis fore Regem, ſi vir uxori fuero infidelis. Quare, ut fidem jure jurando firmatam à me vobis præſtari vultis, ita non debetis velle, ut ejus fidei ſacramentum, quod uxori, Deo teſte dixi, vi fraudeve violem. Chvvalkovvski Effata Regum Polon. p. 67. 68.

Eadem. SCORTATIO. Conſeqv. *etiam poſt fata punitur.* In templo Marienvverderæ Pruſſicæ depicti ſunt octodecim Epiſcopi, inter quos unus pictus eſt cum pedo inverſo & tiara ad pedes in terram projecta ob ſcortationem, qua vitam ſuam polluerat. Brand. Itiner. p. 281.

§. 124. PARENTES. Adjunct. *cupiunt liberos ſecum habere.* Cum pater Jani Druſii Clemens Drieſchius, qui aliquamdiu Eccleſiæ Aldenardenſis Senior fuerat, Reformatæ Religionis ergo proſcriberetur, Londinumque habitationis ſuæ ſedem diligeret, intentatum nihil relinquebat, quo filium ad ſe ducendum curaret in Angliam. Tandem literas dat ad Olivarium Drieſchium cognatum, petitque, ut adhibita opera coloni ſui Anſegemenſis hoc omni arte effectum dare velit, filius ut in Angliam ad ſe veniat. Is igitur clam omnibus cum colono paterno Anſegemum proficiſcitur, ubi pernoctatum fuit, nec poſtridie diſceſſum ante

tenc-

tenebras. Tunc autem abierunt Oſtendam verſus, quod iter pedibus confectum fuit per ſaltus & invia. Interea avunculi, nuncio accepto de diſceſſu ejus, miſerunt, qui ex fuga eum retraherent. Sed fruſtra. Nam prius quam illi, qui miſſi erant, veniſſent, jam tunc in Angliam ſolverat. Colonus dux & comes domum reverſus, conjectus fuit in carcerem, unde non ſine magnis impenſis poſtea evaſit. Abelus Curiander gener Druſii in vitæ operumque ejus delineatione. Officium erga eos: *non interficiendi*, qualis immanitas Scythis quibusdam tribuitur, ut parentes ſenes mactent, atque etiam fato mortuos devorent. Adagium Romanum: *Sexagenarium de ponte.* Prudent. I. II. in Symmachum 294.

Præcipitet Scytica juvenis pietate vietum
Votivo de ponte patrem: ſic mos fuit olim.

Eadem. MATER. *Adjunct. fœcunditas & felicitas.* Eliſabetha Caſimiri IV. uxor ſingulari fœcunditate ac felicitate gaviſa eſt. Non ſolum enim quatuor Regum mater fuit, ſcilicet Uladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis, Johannis Alberti, Alexandri & Sigismundi Regum Poloniæ, ſed etiam regnantes vidit. Filias præterea quatuor habuit Hedvvigen Bavariæ, Sophiam Marchionis Brandeburgici, Barbaram Saxoniæ, Eliſabetham Legniciæ Ducum conſortes. Singul. Polon. Chvvalkovvski. p. 21. 22.

Ea-

Eadem LIBERI. Effectus: *interdum premunt vestigia parentum.* Casæ Abbatis cellanorum anno 1634. pater, filius & nepos intra quatriduum ex eodem suggestu concionati sunt; & quidem nepos Bartholomæus Anhorn ab Hartvvis, Pastor demum Ecclesiæ Elsaugiensis in agro Tigurino, qui edidit Basileæ Anno 1691. *theatrum concionum sacrarum*, concionatus est die 21, pater Daniel Anhorn 20, & avus Bartholomæus 23. Mensis Septembris: Actor. Erudit. Suppl. Tom. II. p. 356.

Eadem. FRATRES. concomitans: *matres eorum interdum sunt sorores.* Vladislao IV. & Johanni Casimiro fratribus duobus duæ sorores Anna & Constantia fuerunt matres, & una ambobus uxor Maria Ludovica Singul. Polon. Chvvalkovvski p. 34.

§. 125. EDUCARE. *Causæ adjuvantes educationem: interdum bestiæ.* Inventi sunt in Lithuania anno 1661. in sylvis Grodnensibus cum ursis duo pueri; quorum unus, cum in feras fieret insultus, fugiendo cum ursis ad loca paludinosa, evasit periculum. Alter vero novem circiter annorum manibus insequentium cessit, atque Varsaviam adductus, Regi Joanni Casimiro oblatus, deinde baptizatus ac Josephus dictus est. Morem ut quadrupes ingrediendi difficulter exuit, ac murmure ursino sensus suos semper dedit: quippe linguam Polonicam discere non valuit. Singul. Polon. Chvval-

Chvvalkovvski p. 95. 96. *Modus educandi:* A Lithuanis pueri ab anno ætatis ſeptimo adhibentur paſcendo pecori: poſt duodecimum diſcunt occare: circa decimum ſextum arando falceque ſecando exercentur: circa decimum ſeptimum vel octavum ducunt uxorem. Brand. Itin. p. 91.

§. 127. LIBERTAS. Officium erga eam: *omnibus modis eſt defendenda.* Poloni libertatem ſemper non fortunis ac bonis tantum, ſed vita ipſa ac ſanguine redimunt, ſi teneri quidem aliter ac poſſideri non poteſt: honeſtius in jugum caſuri quam ituri. Kuszevvicz narr. leg. Zbaravianæ p. 80. 81.

§. 128. AMICITIA. *Indicium amicitiæ: aliquem ad ſe cito admittere.* Additus Legato Brandenburgico ductor (Priſtaff) aſſerebat, exinde apparere, quanti Czarius Electoris Brandenburgici, quem tanquam fratrem amet, amicitiam æſtimet, quod Legatum ſtatim poſt adventum ad ſe admittat: cum Legati, Svecicus & Gallicus, gratiam adeundi Czarii vix ante quatuordecim dies impetrare potuiſſent. Brand. itin. p. 222. Conſeqv. *amicitia culta auget opes.* Vezerus, præſente Imperatore, Legato dicebat, amicitiis etiam vicinorum, non modo armorum conſilio Otthomanicos faſces creviſſe. Kuszevvicz narr. leg. Zbaravianæ p. 99.

Eadem. FAMILIARITAS. Objectum: co-

colatur ea cum hominibus gravibus & sapientibus. Sigismundus I. moriturus filium Sigismundum Augustum admonuit, dicens: omnibus te æquabilem, familiarem vero non nisi gravissimis & sapientissimis quibusque præbebis. Chwalkowski Effata Reg. Polon. p. 65.

§. 129. VICINI. Adjunct. *interdum sunt mali. Malus autem vicinus cruciatus infert maximos.* Vladislaus Logticus post victoriam à Cruciferis reportatam obequitans, conspicatus est quendam de suis, hominem equestris ordinis Florianum, cognomine Szary, multis vulneribus debilitatum resupinato corpore jacentem, & ilia per vulnus effluentia manibus cohibentem; & conversus ad comites dixit: quam magnus hujus viri cruciatus! Respondit ille, majorem esse ejus, qui in eodem pago malum vicinum habeat; qualem ipse expertus sit. Rex contra, Bono, inquit, animo sis! Isthoc ego malo te liberavero, si vixeris. Et sublatus curatusque totum pagum, amoto malo vicino, Regia munificentia adeptus est. Chwalkowski Effata Regum Polon. 43.

Eadem. HOSPITALES. Effect. *diversoria liberalia peregrinantibus præbent.* In Chormandell binis milliaribus confectis invenias diversoria *Tschaudries* dicta, in quæ iter faciens divertere & per aliquot noctes sine impensa ibi subsistere potest. Conspicitur illic

vir

vir atque mulier ministeria in usum hospitum obeuntes. Tappens Itiner. p. 102.

§. 130. ADORARE. *Quid sit?* honori habere & plurimi facere. Adoratæ sint mihi Sarmaticæ expeditiones, id est, laudatæ, magni æstimatæ cum veneratione victoris, honori habendæ, plurimi faciendæ. Eumen. Paneg. Constantii. cap. 5. Hoc ego salarium, quantum ad honorem pertinet, adoratum accipio, id est, grato animo & cum veneratione. Cellar. ad Panegyr. III. c. XI. 3.

Eadem. HONESTA SEPULTURA. *Subjectum, cui ea denegatur interdum: homo diversæ religionis.* Filia Jani Drusii Johanna 1612. cum marito Abrahamo Valkio urbis Domburgensis Prætore, in Flandriam proficiscitur, Gandavique diem suum obit. Paulo ante mortem loci istius Sacerdos accurrit, sibique ab ægra peccata ad aurem enumerari postulat. Huic resistit religionis suæ confessione animose per DEI gratiam morbida, sed verbis, fere & verberibus maritus. Ob hoc facinus, & quod oleum istius Monachi admittere nolebant, cadaver mortuæ Drusianæ non dignum judicatur, quod in ordinario loco terræ mandetur, sed pro illo cloacæ, colluviarium, & si quis extra urbem est ignominiosior locus, assignatur. Effertur tandem cadaver, vehiturque Gandavo in Zelandiam: Incredibile autem memoratu est, quantis sumtibus, peri-

Digitized by Google

periculis & moleſtiis. Abelus Curiander in vitæ operumque Druſii delineatione.

SEPULTURA. Species: *Suppliciis affectorum ſepultura.* Capitis damnati in quadam parte Chinæ in ponte Lamthaenſi decollantur, cadaverque ibi relinquitur: prætereuntes autem unum vel plures Condorinos, quorum ſinguli valent $3\frac{1}{2}$ nummulis, in truncato corpore ponunt, &, ſi veſpertino tempore pecuniæ ea congeſta eſt ſumma, pro qua ſepeliri poſſit, accipit eam quidam, curamque ſepulturæ in ſe recipit; alias cadaver in aquas projicitur. Tappens itiner. p. 129.

Eadem. EXEQVIÆ. *Concomitans: In India mulieres cum viris defunctis ſe comburunt.* Illæ enim olim, quando odium in viros conceperant, venenum iis propinabant. Rex igitur regionis vidit, numerum virorum magis magisque imminui, ſeque hoſti advenienti parem haud fore: metuensque, ne & ſecum eo modo aliquando ageretur, præcepit, ut mulieres, cum viros adhuc viventes amaſſent, cum ipſis mortuis ſeſe comburerent: id autem facere recuſantes capillis abſciſſis terra ejicerentur. Tappens itiner. p. 85.

Eadem. STATUA. *Conſtantinopolitanæ ſtatuæ:* Videntur ibi tres ſerpentes marmorei: qui mutuis nexibus implicati, ad duorum hominum altitudinem aſcendunt. Eſt in eodem loco & columna raræ artis, ſaxis ſine calce

&

& cæmento adunatis conſtans, habetque in medio ſcalam turbinatam, qua ad ſummum adſcendunt. Hanc Arcadius ſtruxerat, re Romana proſpere contra Germanos geſta, triumphoque de Gothis parto. Kuſzewicz narrat. legat. Zbaravianæ. p. 63. 64.

Eadem. MONUMENTUM. Uſus: *monent nos de reſurrectione.*

Quidnam ſibi ſaxa cavata?
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quod niſi creditur illis
Non mortua ſed data ſomno.
Hoc provida Chriſticolarum
Pietas ſtudet, utpote credens,
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus ſopor urget.

Prudent. Hymn. X. Cathem. 53. ſeqv. Cicero I. Tuſcul. cap. 12. ait: cæremoniis ſepulchrorum intelligi, exceſſu vitæ non ſic deleri hominem, ut funditus interiret.

§. 131. HUMILITAS. Effectus: regna oblata ſpernit. Sigismundus I. Rex Poloniæ ita expers fuit ambitionis, ut Hungaricum, Svecicum, Bohemicum ſceptrum oblatum repudiaverit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 23. 24.

§. 132. EXAGITARE. Effect. *exagitatores ſimplicibus varias moleſtias creant.* A-

Digitized by Google

pud *Paddegas* ventus per anni dimidiam partem è continente, per alterum dimidium è mari oritur. Ille eſt moleſtus, hic noxius. Ille magnum calorem ſecum affert, avesque è ſilvis ad mare pellit; quæ æſtum vitantes ita obſtupefactæ apparent, ut etiam baculis ſe occidi ſinant. Cornices autem talis ſtupor non invadit, quæ interea aves eo correptas perſequuntur, & è loco in locum pellunt; in domos etiam ſe recipientes comitantur, tantumque edunt ſtrepitum, ut neceſſe ſit vi eas inde ejicere. Ejusmodi cornicibus ſimiles exagitatores. Tappens Itiner. p. 109. ſeqv.

§. 133. VOLUPTATES. Effect. *decipiuntur homines voluptatibus, quas cibus & potus efficiunt.* Latrocinia Comitis Reinſteinenſis ob arcem, quam incolebat, natura atque arte munitiſſimam nemo impedire poterat. Dolum igitur ipſi ſtruunt vicini, & cum intelligerent, ipſum eſu caſeorum recentium, quos eo ruſticæ quædam allaturæ erant, delectari: miſerunt tempore matutino milites aliquot habitu mulierum ruſticanarum, tales caſeos portantes: qui intromiſſi excubitores in porta occidunt, & cum commilitonibus accurrentibus arcem capiunt atque evertunt. Comes autem ab ancillis lecto inſutus, & fune per foramen, ex quo proſpectus in viam Quedlinburgum ducentem patet, demiſſus, militum manus evaſit. Hercyn. curioſ. Behrens p. 161. 162. Abuſus: *Satanas*

per

per eas decipit homines. Indi quidam cervos capturi, induunt ſe ramis palmarum & tempore matutino rus abeunt. Cervi ramos videntes, tanquam ad cibum accurrunt; appropinquantes autem ſclopeto occiduntur. Iidem foſſas in terra parant, quas gramine circumdant, ex iisque cervum, paſtum venientem feriunt. Tappens Itiner. p. 105.

§. 134. FAMES. *Remedium contra eam: Pilulæ ex Nicotiana confectæ*, inter labrum inferius & dentes repoſitæ, famem ſedant, & homines aliquot diebus ſine cibo ac potu nutriunt: quia è cerebro pituitoſos humores eliciunt, eosque ad ventriculum demittunt, inde ad epar & ad venas. Cluſius in hiſtoria medicamentorum ex novo orbe delatorum.

Eadem. CIBUS. Species ciborum ſive *qualis debet eſſe cibus?* R. *non ſemper caro.* Carnibus priſci Chriſtiani abſtinebant non ex Pythagoræ diſciplina, quibus veſci licitum eſſe non ignorabant: ſed ex voluntario temperantiæ inſtituto. Hieron. epiſt. 10. ad Furiam: nihil ita ſcias conducere Chriſtianis adoleſcentibus, ut eſum olerum. V. Cellar. adnot. in Prudent. p. 16.

§. 135. PANIS. Officium erga eum: *non contemnendus, quamvis ſit ater.* Prope pagum Hochſtedt in monte ingens quoddam terræ ſpatium in lacum mutatum eſt. Fuiſſe dicunt olim ibidem locum paluſtrem gramine conſitum,

ubi pueri equos pascentes custodiverint. Cum autem aliquando unus ex pueris panem albentem comederet, sodales invasit libido de pane illo aliquid gustandi. Petierunt ergo eum à possessore, illoque tergiversante, quod ipse eo ad famem sedandam indigeret, suis heris non solum maledixerunt, qui ipsis panem atrum comedendum darent; sed etiam panem, quem secum habebant, in terram conjecerunt, pedibus calcarunt scuticisque flagellarunt. Sanguis autem ex eo profluxit: quo prodigio atque futuri mali signo pueri admodum territi sunt. Innocens interea à quodam viro ignoto prætereunte monitus, equum insiliit atque fugit cum reliquis. Hos secuturi ii, qui in panem injurii fuerant, loco se movere non potuerunt, integrumque terræ spatium cum pueris & equis absorptum atque in lacum mutatum est. Hercyn. Curios. Behrens p. 85. 86.

Eadem. MEL. Species: Mel *Atticum* montis Hymetti, quod erat præstantissimum. Apud Prudentium laudantur mella *Cecropia* Hymno Cathemerinon III. 71.

§. 136. CULTER. Actiones circa cultros: *eos circumgestamus*. Interpretes Russici a Legato Brandenburgico ad convivium invitati asseruerunt, non esse moris apud ipsos cultros secum gestare; ideoque cultris, succino tecta manubria habentibus, à Legato donati sunt. Brand. itin. p. 219.

§. 137.

§. 137. BIBERE. *Mos inter bibendum:* Conradus de Feuchtwangen Magiſter ordinis Teutonici in Pruſſia legem tulit, ut, qui ultimus bibiſſet, iterum de recens infuſo liquore bibere inciperet: ſiquidem inter Pruſſos Ethnici recens infuſa, Germanis tradenda, veneno miſcebant. Brand. itin. p. 276.

Eâdem. CEREVISIA. Paſſio: *incendi poteſt interdum.* Insterburgi in Pruſſia coquitur cereviſia nigra, vini ſublimati fere habens virtutem: quæ in vaſe calefacta & operculo tecta, quando illud operculum ſubitò removetur, papyro ardente incendi poteſt, ita, ut ignis omnem liquorem usque ad ultimam guttam abſumat Brand. itin. p. 272. *Effectus:* cereviſia Gedanenſis, dicta ſpiſſa ſive *jopenbier* ſolvit ſanguinem coagulatum. Hennin. adnotat. ad Itin. Brand. p. 317.

Eâdem. POCULUM. *ſpecies poculorum: cymbalum,* ſacerdotes Cybeles ſeu Berecynthiæ matris bibebant de cymbalo, quemadmodum de tympano edebant. Lampe de cymb. III, 16. *Uſus poculorum:* Cymbalorum loco pocula uſurpata à mendicantibus ibidem & III. 14.

§ 138. SUMERE CIBUM. *Mores in ſumendo cibo; in conſpectu omnium edere.* Mos apud Turcas habetur, Principum Chriſtianorum legatos cum paucis Turcarum ſedentes veſci in aſpectu omnium propria & ſolita menſa, in qua rerum pariter ac famæ momenta. Ita epulanti

Digitized by Google

Legato Zbaravio a Vezero varii fructus missi, additique Janizari, per speciem honoris, custodes exploratoresque. Kuszevvicz. narrat. legat. Zbarrav. p. 74. 75.

Eadem. CONVIVIUM. Adjunctum: *rosæ & unguenta in paganorum conviviis.* Cic. II. Catil. c. v. sertis redimiti, unguentis obliti. Ex aromate autem odor ungventorum. Vid. Cellarii adnotat. ad Prudent. p. 14.

§. 139. SOBRIETAS. *Subjectum ejus: etiam Reges & Principes.* Jagello vino semper abstinuit, & filius ejus Casimirus solam frigidam potitare solitus. Sobrietatis etiam singularis fuit Vitoldus Magnus Dux Lithuaniæ: nunquam enim vinum, aut è grano vel melle coctum potum gustavit. Singul. Polon. Chvvalkovvski p. 20.

§. 140. IGNIUM ACCENSIONES. *Quales accensiones solennes apud Turcas observentur?* dolis picatis sub vesperam accensis, inter tenebras lætissimi ignes passim colluxere, majoribus machinis cum moribus pariter impulsis: & ex hastis, affixo cuspidi stramine, continuæ quasi flammæ spectabantur. Kuszevvicz narrat. legat. Zbaravianæ p. 114.

Eadem. MUSICA. Causa vel *origo musicæ.* à conflictu & tinnitu æris omnem principio musicam profectam esse, affirmat Solinus Polyhist. c. XI. inquiens: Studium musicum inde cœptum, cum Idæi Dactyli modulos, crepitu & tinnitu

tinnitu æris deprehenſos, in verſificum ordinem transtuliſſent. non potuit enim facilior muſicorum modorum inventioni occaſio naſci, quam agnito, qui metallis concuſſis ineſt, ſono. Lampe de Cymb. II, 8. Uſus: *conducit ad victum acquirendum & ſtudia continuanda.* Johannes Major, cui Reinſtadium pagus Thuringiæ, ſub Orlamundana diœceſi ſitus, ortum dedit, cujusque patri Johan Groſs nomen fuit, cum muſicam ſatis didiciſſet, & voce clara præditus Diſcantum ſvaviter caneret, inter Ducum Vinarienſ. Muſicos receptus, victum & amictum clementer accepit. Zeumeri vitæ Profeſs. Theol. Jenenſ. p. 127.

INSTRUMENTA MUSICA. Circumſt. Uſus ſpecierum, ſive, *qualia in bellis apud varios populos in uſu fuerint?* R. In bellis *tuba* utuntur Hetruſci, *fiſtula* Arcades, Siculi inſtrumentis, quæ appellant *pectidas*, Cretenſes *lyra*, Lacedæmonii *tibia*, *cornu* Thraces, *tympano* Ægyptii, & Arabes *Cymbalo*. Clemens Alex. pædag. II. 4. Lampe de Cymb. III. 18. Conſeqv. *aliquando abrogata.* omnia inſtrumenta Muſica Veteris Teſtamenti in antiqua Eccleſia abrogata. Uno inſtrumento, verbo ſolo pacifico, nos utimur, quo Deum honoramus, non amplius veteri Pſalterio & tuba & tympano & tibia. Ex Clem. Alexandr. Pædag. II. c. 4. Lampe III. 1.

Eadem. CYMBALUM. *Forma:* Cymbala ſunt ſemirotundi quidam pelves, quos concutie-

bant, ex Rubenio de re vest. vel cymbala erant semirotunda, sphærarum instar, ita ut, cum bina essent, conjuncta rotundum quid prorsus formarent. Lampe de cymb. II, 1. *concomitans: tympana.* Græci & Romani ubique fere cymbala atque tympana conjungunt. Lampe de cymb. I. 13. *Usus cymbalorum:* qui musicum sonum cymbalis efficere volebant, ea, cum essent bina, in concavitate secum invicem confligebant. Lampe de Cymbalis II. 5. *Usus eorum ubi se exeruit?* Cymbala in sacris gentilium frequentissima. Cymbala ante sacrum in Judæa usum, modicè adhuc in cultibus atque idololatria gentium adhibebantur. postea quam autem in verum Dei cultum recepta sunt, Diabolus plurimis gentium orgiis, mysteriis, sacrificiis, adorationibus cymbala insinuavit. Lampe de cymbalis III. 1.

§. 141. NATATIO. Adjumentum: *saccus coriaceus.* Consuunt Indi quidam saccum coriaceum ita arctè, ut aqua eum transire nequeat. Huic se nataturi immittunt, eumque sub brachiis ligamento firmant, sicque natando duo vel tria milliaria absolvunt. Tappens Itiner. p. 112. 113.

Eadem. SALTATIO. Adjunct. *Cymbala in saltationibus frequentissima.* Lampe de Cymb. III. 13. Inter Javanensium convivia atque nuptias frequenter adhibentur quædam saltatrices Babylonicæ, quæ magno pretio conquiruntur, cum

cum una ſæpe ter millenis florenis conſtet. Has ferunt ſaltare larvatas, & confligere manibus quosdam globulos ligneos, quibus mira celeritate colliſis modos muſicos formant. Idem II, 20.

Eadem. DIGLADIATIONES. *Species gladiatorum: mirmillo*, qui cum Thrace, alio genere, componebatur. Auſonius:

Quis mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.

Alia ſpecies: *ſecutor*; qui cum retiario componebatur, quem inſecutus eſt, ut ſuperaret, antequam ille feriret rete. Iſid. Orig. 18. Cap. 52. *Adjunct. ſive arma*: Quibusdam erat contiguum ferri tegimen, qualis & mirmillo. retiarius armatus erat fuſcina cum reti. *Verbum gladiatorium*: HOC HABET, quod victor de victo dicebat in vulnere. Et ſimpliciter: HABET, puta, letale vulnus. Cell. ad Prud. 361. *Officium erga gladiatores*: pro victo læſoque gladiatore jus populi erat ſervare, aut occidi jubere. Favoris ſignum premere pollicem: occiſionis, eundem convertere. Juven. ſat. III. 36.

Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgus, Quemlibet occidunt populariter.

Eadem. PALÆSTRA. *Uſus*: Gymnaſia Mercurio apud Spartanos dicata. Cell. ad Prud. p. 464.

§. 142. LUDUS. Conſeqv. *bona amittuntur.* Chinenſes ſupra modum delectantur ludis

dis, perduntque ludendo non ſolum domos atque fundos: ſed etiam ventos, hoc eſt, naves, quæ ventis agitantur, in ludum deponunt. Omnibus amiſſis tandem capilli in diſcrimen adducuntur, & ſi hac quoq; ratione fortuna minus proſpera utuntur, ſimul omni honore excidunt. Tonſura enim tunc ipſis omne capillitium, & cum eo bonam exiſtimationem auffert. Tappens itin. p. 142.

§. 144. VESTIS. *Adjunct. pretioſitas.* Coæ veſtes ſubtiles & prætioſæ. Cellar. in Prudent. p. 49.

Eadem. VESTES PURPUREÆ, *locus ubi paratæ fuerunt?* Horatius laudat murice Afro, Gætulo & Tyrio tinctas lanas. Prudentius adducit Coos murices, ita canens hymno VII. Cathem. 156. 157.

Rex ipſe, Coos æſtuantem muricis
Lanam revulſa diſſipabat fibula.

§. 145. TRABEA. *origo nominis:* eſt veſtis trabibus intextis variegata etiam equitum fuit. Cell. ad Prud. p. 424.

Eadem. MASRUCA vel MASTRUGA. *Subject. Germani.* eſt enim veſtis Germanica ex pelliculis ferarum. Iſidor. l. 19. Orig. c. 23. Cicero etiam Sardis tribuit, frigidos montes habitantibus.

Eadem. CALCEUS. *Materia calceorum: interdum æs.* Empedocles purpura uſus eſt & calceis æneis, quod multos puellas indotatas ex pri-

privatis opibus dote addita locupletavit. dicitur inde cymbalo inceſſiſſe. Crepidæ tales æreæ & cymbalicum ſonum referentes puellis quoque in uſu fuerunt. Lampe de cymb. I. 2.

Eadem. CINGULUM. Uſus: *Cingulum, inſigne militum*, qui inde *cincti* dicti exauctorati *diſcincti*. Prudent. Periſtephanon Paſſ. I. 32. ait: milites, quos ad perenne cingulum (id eſt, ad militiam) Chriſtus vocat. Sulp. Severus Dial. II. 11. miles cingulum abjecerat, id eſt, valedixerat militiæ.

§. 146. HABITARE. *Officium commode habitare volentium ob religionem nonnunquam priſtinam habitationem deſerere.* Pater Thomæ Erpenii Profeſſoris Leidenſis fuit Gerardus Joannes ab Erpe, mater Beatrix de Bye, honeſta uterque familia, ex nobili Brabantiæ oppido, cui Sylva Ducis nomen dedit. Hi cum ſinceriori omnia religioni poſtponerent, ſponte ſolum vertentes in Zelandiam conceſſerunt: indeque ſedem in Batavia Gorcomi fixere, Ubi natus eſt Erpenius anno 1584, qui obiit anno 1624. Voſſii oratio in obitum Erpenii p. 4. 5.

Eadem. DOMUS. *partes*: ſunt vel *inferiores* vel *ſuperiores*. Tenuis fortunæ homines in ſummo ædium ſub tegulis habitabant. Inde Prud. libr. I. in Symmachum 580.

Omnis, qui celſa ſcandit cœnacula vulgus.

Locus: interdum mons. Dux Saxoniæ Erneſtus anno 1649. in monte altiſſimo Thuringiæ Heun-

Heunſelberg ſive Inſelberg exſtruendam curavit domum, ad animum ibi recreandum. Elegans carmen vernaculum in hanc ſtructuram habet Tentzelius Curioſ. Biblioth. repoſ. I. loc. II. p. 113. ſeq.

§. 147. COENACULUM. *Adjunctum: ornatus.* Diſcubuerunt Poloni in aula maxima Cæſarearum ædium, quam Eunuchi roſis & aliis floribus conſtraverant. Namque in aulis Turcarum non luxus aulæorum, non ſplendor gemmarum, non aurum, non argentum, non alia, quibus pretium ſola dementia mortalium fecit, cernuntur. Kuszewicz narrat. legat. Zbaravianæ. p. 99.

§. 150. CALAMITAS. Officium noſtrum in calamitatibus: *etiam iis preſſi honorem Dei amplificare debent.* Sic Johannes Fridericus anno 1548. d. 19. Martii Gymnaſium Jenæ erigendo, veræ religionis aſylum ac literarum officinam, abſens quidem in cuſtodia, Sereniſſimorum Filiorum opera condidit. Zeumeri vitæ Profeſſ. Jenenſ. p. 2.

Eadem PAUPERTAS. *Officium erga pauperes: alendi ſunt.* Accipiebant olim frumentum publicum diſpenſum, id eſt, diſpenſatum ex altiore loco gradibus adiri ſolito, unde *panis gradilis* vocatur. vid. Cell. in Prudent. p. 435.

Eadem, MENDICITAS. *Effectus mendicitatis* ſive *artes olim mendicantium: Deorum circum*

Digitized by Google

circumgestatio. Agyrtæ in asinum ponentes simulacrum Deæ suæ Cybeles, tympanis circuibant vicos, mendicantes cum carminibus & cantilenis, lunæ primo mense. Tzetzes Chil. V. hist. 475. Lampe de Cymb. III. 14.

Eadem. EXILIUM. *Causa: contentiones hominum inter se.* Simon Musæus alias Meussel, cujus Pronepos fuit Johannes Musæus, nullo loco tribus annis diutius perseverare potuit. nam decemplici exilio, & varia rerum necessitudine, cui per ævi sui injurias & mirificas hominum contentiones obnoxius erat, oppido est famigerabilis. Zeumeri Vitæ Profess. Theol. Jenens. p. 45. 46.

Eadem. INCENDIUM. Officium erga illud: *extinguendum*, quod Lamthaenses non faciebant. Cum enim Tappio ibi præsente incendium oriretur, nolebant de eo extinguendo esse soliciti, credentes, illud ab iratis Diis sibi immissum, & propterea non licere cursum ejus inhibere. 400. igitur domus tunc in cineres redactæ. Tappens Itin. p. 133. Denotata per incendium: *nonnunquam in omen lætitiæ & felicitatis trahitur.* Præcedens nativitatem Vladislai IV. nox fortuito incendio illustris fuit. nam melior pars palatii Regii Cracoviæ conflagravit. Vnde variorum ingenia varia felicitatis omina traxerunt. Certe casus ille arci bene cessit. Nam Georgius Radziwil ex fodinis in agris Kielcensibus, Episcopatus sui Cracovienſis

vienſis tunc recens inventis, Regi tantum cupri dedit, quantum ſuffecerit tectis ſplendidius reſtituendis. Singul. Polon. Chvvalkovvski p. 32. 33.

§. 151. PERICULA. *Occaſio, quæ nos periculis objicere ſolet: navigatio.* Johannes Tobias Major Fliſſingâ Angliam petiturus, parum abfuit, quin in navem, (naulum enim jam tum ex parte ſolutum erat) in qua epidemico correpti malo plurimi poſtea obiere, incidiſſet. Præterea cum aliam in navim tranſiiſſet, graviſſima tempeſtate oborta jactatus fuit, ut de ſalute videretur actum. Divino tamen auxilio ſingulari, in Galliæ portum Diepenſem, cum Angliam meditaretur, rejectus evaſit ſalvus. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 190. 191. Subjectum: *accidunt pericula ſæpe infantibus.* Parens B. Joh. Wilhelmi Baieri, vir integerrimus, civis ac mercator Noribergenſis, ante filioli natalem vitæ pauſam fecerat, mœſtaque mater Suſanna Schröckin, matrona pia & honeſta, tum mariti obitu, tum aliis caſibus adverſis, terroribus ac ærumnis concuſſa, fœtum adeo imbecillem ediderat, ut de vitæ conſervatione dubitaverit quilibet. Sed Deus & matrem & infantem benignè conſervavit. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 221.

§. 152. MORBVS. *Cauſa morborum: acidum.* Clar. D. Wirdigius haud inſulſe in determinando univerſali morborum modo aco-

acorem ſpirituum nominat. I. D. Major ad Kirchmaier. epiſt. p. 40.

Eadem. VVLNERA. *Locus*: *caput*. *Vulnera* autem *in capite non ſemper ſunt letalia*. In bibliotheca Regiomontana aſſervatur pars quædam ſagittæ, longa quatuor & dimidii digitorum latitudine, qua Mareſchallus terræ Boruſſicæ Eraſmus de Reichtenſtein vel Reitzenſtein in prælio quondam vulneratus eſt, quæque diu in capite ejus fixa hæſit, donec poſt quatuordecim annos è palato decideret. Brand. Itin. p. 22. & 40. Otto IV. Marchio Brandenburgicus, Octavus Elector è domo Aſcanienſium, qui vixit anno 1285. & Sagittarius ſive Marchio cum ſagitta dictus eſt, per integrum in capite habuit, qua in obſidione urbis cujusdam percuſſus erat. Hennin adnot. ad Itin. Brand. p. 338.

§. 153. MORBUS HYPOCHONDRIACUS. *Adjunct.* Ea morbi eſt pertinacia, ut ſpernat plerumque medentium opem, multo magis, ſi diuturnitate acquiſiverit vires. *locus, ubi reperitur*: audit vulgo morbus hypochondriacus, quod focum habeat in ventre inferiore ſub hypochondriis. *Effectus*: ſi increvit, caput ex copia ſurgentium evaporationum peſſime afficitur, apoplexiaque metuenda, niſi in tempore coercetur. *Remedia*: ego hactenus nihil in ejusmodi affectu ſalubrius deprehendi, quam, juxta commodam victus rationem,

nem, si æstus abdominis, effectrix scilicet & causa omnis fermentationis, tollatur protinus, & simul humor melancholicus ibi delitescens, nulla violentia sed sensim atque per ἐπίκρισιν expurgetur. Igitur esto cibus parcus & facilis concoctu, non salsus, non aromatibus multis, non saccharo aut melle conditus, non flatulentus. Potus sit vel aqua limpida, vel vinum ὑδαρῶδες aut cerevisia Zerbstana, sed tenuissima: generosior omnis potus veneni instar est cavendus. Validè omnia purgantia medicamenta nocent; noxia est venæ sectio. Acidularum usus prodest, modo sit legitimus. Prosunt & clysteres, si reliqua accesserint. Sumet ægrotus in dies pilulas mane vesperique, idque menses uno alteroque. Interea temporis malum omne cessurum haud dixerim; spero tamen mitigatum iri, ita ut proxima æstate potu acidularum, quod reliquum fuerit, possit tolli. Capiti commodabit hoc tempore frequentior usus tobaci: corpore expurgato nonnihil, lotiones capitis adhibendæ fuerint. Hæc præscribit Conringius affini Dn. Kirchmaieri in epist. ad Kirchmaier. p. 9. 10.

Eadem. APOPLEXIA. Subjectum, cui accidat: *ab ea Doctores etiam in suggestu non sunt tuti.* Cum Gothofredus Cundisius d. 25. Julii anni 1651. Jenæ in templo oppidano Joelis cap. III. v. 17. explicasset, sub ipsa concione apoplexia ictus, & à B. Andrea Beiero Archidiacono, è sella

è ſella ſua parochiali accurrente, bracchiis exceptus; & deportatus de ſuggeſtu, hora poſtmodum undecima ſpiritum emiſit. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 176.

Eâdem. PESTIS. Adjunct. *Singulari Dei dono interdum non eſt contagioſa.* Jodocus ſive Juſtus Jonas patrem habuit Northuſæ Conſulem, qui cum peſte laboraſſet, & cepam abſceſſui impoſitam removiſſet, inque ſcamnum depoſuiſſet; ſupervenit hic Juſtus filiolus admodum puer, & totam cepam devoravit avidè, citra ullam tamen contagionem. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 22. Effectus: *ſolvit cœtus ſtudioſorum.* Anno 1578. propter contagionem Academia Jenenſis Salfeldiam transferebatur. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 101.

§. 154. MEDICI vel MEDICINA. Conſequ. *impedit accuratiora ſtudia.* Habeo equidem, inquit Joh. Dan. Major Kilonienſis Medicus, libellos aliquos meæ domi non plane infimi commatis aut pretii; ſed certe in ſpem futuræ oblivionis fideliter repoſiti ſunt, hoſpitemque ago in propria bibliotheca, ut ſæpe indigner tædioſiſſimæ medicinæ iſti mercenariæ, ſi quam maximè etiam diteſcere ex ea poſſem. ad Kirchmaier. epiſt. p. 33.

Eâdem. MULOMEDICI ſive MULOMEDICINA. ſpecies: *remedium, quo equo ægrotanti ſubvenitur.* Livoni ut & Ruſſi in pectore equi ægrotantis cutem aliquanto a carne

abductam perforant, perque vulnus utrinque patens reſtim ducunt ex radice lilii convallii, ſiccatâ cortice arboris lupinæ & pilis equinis connexam, quam colligant extra vulnus : ex quo equis labores ſubeuntibus multa ſanies exit. Reſtis ibi relinquitur, donec per cutem corruptam decidat, carne novâ ſub reſte interim ortâ. Brand. Itin. p. 146. 147.

Eâdem. PANACEA. Quær. *An ſit?* Dantur panaceæ ſecundum quid ſic dictæ, vel *in* certo morborum genere, ita, ut, quod e. g. vel febribus omnibus vel ulceribus omnibus medeatur, panacea iſtorum pathematum ſit. *Quid ſit?* forte ab aliquibus inventum eſt peculiare & univerſale quoddam genus remedii, quod univerſali ſpirituum ataxiæ obſtet, eosque *in* meliorem ordinem redigat. Quæ acidum (*acorem* ſpirituum) ſorbent aut corrigunt, idque agendo per ſpirationem internam reſtituunt, ſimpliciter in omnibus morbis conveniunt. I. Dan. Major epiſt. ad Kirchmaier. p. 39. 40.

§. 155. SEDITIO. Adjunct. *in ea mandata negliguntur.* Vezerus apud Legatum per Secretarium diſſeruit, Janizaros, (quod in ſeditionibus accidit,) non juberi, non regi, ſed cuncta ex libidine agere. Kuſzewicz narrat. leg. Zbaravianæ p. 106. *Remedium contra ſeditionem: quando vir prudens ſeditioſos increpat.* Non ſine ope divina ingreſſus in ſeditionem, contra Legatum Polonicum motam, Janizarorum Dux, homo

homo apprime ſagax ; non medicinam illud magna cum indignatione ſed rebellionem appellans, diremit conſiliorum diverſitatem: & ita, ad conſpectum mandatumque Ducis, qui forte venerat, repreſſus utcunque Janizarorum motus. Kuſzewicz narrat. legat. Zbarav. p. 107. 108. majeſtate tantum, &, qua erat apud Janizaros, gratiâ, concitatam & prædæ avidam multitudinem facile placabat. p. 109.

§. 156. MILITES. Adjunct. *in otio ad tumultus excitandos ſunt proni.* Huſſeimo Vezero non ingratum accidit, turbari res orientis, ut ea ſpecie Janizaros acceptæ injuriæ ultores Conſtantinopoli abſtraheret, ſimulque luxuriantes eorum animos metu hoſtium diſciplinaque caſtrenſi contineret, ſeque tutiorem exiſtimabat, poſitis urbani periculi curis. Kuſzewicz narrat. legat. Zbaravianæ. p. 153. Officium erga eos: *bene educandi.* Stabant & Janizari, firmatus uſu miles & belli domitor externi. Hi impuberes adhuc ex toto imperio deliguntur, exporrecti vigoris & virtutis. Aliquamdiu militari diſciplina inſtruuntur ſub magiſtro: dein robuſtioribus ac jam pridem probatis aggregati amiciuntur veſte fluitante, & pileo albo, ac ſurſum verſus erecto. Hi caſtra muniunt, urbes oppugnant, & ad triginta millia ac amplius, publico Cæſarum ſtipendio, per totum imperium auctorati habentur. Kuſzewicz narrat. legat. Zbaravianæ. p. 97.

Eâdem. DUCES BELLI. Concomitans; *Reges interdum non adſunt ducibus ſuis.* Siculam victoriam dormiente Octaviano gener Agrippa confecit. Cell. ad paneg. Vet. p. 131.

Eâdem. VEXILLUM. Adjunct. *Dracones intexti vexillorum panno.* Hinc Prudent. Hymno V. Cathem. 55.

56. canit.
ſignaque bellica
Prætendunt tumidis clara draconibus.

More Romano dracones ipſa etiam vexilla dicebantur. Dracones per ſingulos cohortes a Draconariis feruntur ad prælium. Vegetius II, 13. vid. Cellar. adnot. in l. c.

Eadem. CASTRA: *partes caſtrorum: portæ.* Erant autem in caſtris portæ: prætoria, adverſus hoſtem, decumana, in parte averſa, principales, in lateribus. Cell. ad Prud. p. 386. GALEA. *Ornamentum: pennæ pavonis:* Claudianus VI. Conſul. Honor. V. 575.

Quod picturatas galeæ Junonia criſtas
Ornet avis.

Eâdem. GLADII. Uſus: *nullus gladii uſus, quando Legati adeunt principes.* Brandenburgicus Legatus introiturus cum ſuis ad Czarium monebatur, ut gladios juxta veterem ritum deponerent, eosque Strelitzio cuidam traderent, qui illos, à Czario egreſſis, iterum reſtituit. Brand. itin. p. 226. 234.

Eâ-

Digitized by Google

Eâdem. SAGITTA. Materia: *Cretenſis arundo ſagittis aptiſſima.* Hinc dicuntur Gortynia tela Silio II. 90.

Præfigit calamis ſpicula Cnoſiis: Prudent. Hymna V. Cathem. 52.

§. 157. PRÆDA. Adjunct. *dives.* Iwan Baſilowitz Grotzdyn anno 1477. poſt bellum per ſeptennium geſtum occupavit Novogardiam magnam, ex qua 300. plauſtra auro & argento onuſta abduxit. Hennin. adnot. ad itin. Brand. p. 391.

Eâdem. URBES OCCUPARE. *Adjumentum: facilis redditur occupatio urbis, ſi ea munimentis neceſſariis deſtituatur oppidanique negligentes ſint.* Halli Baſſa in civitatem inſulæ cujusdam Hiſpanicæ in mari mediterraneo penetravit, quæ munimentis adverſus hoſtes inſtructa non erat, quantum ſatis. Negligentia oppidanorum etiam pro ſucceſſu Turcarum fuit, & cujusdam prudentiæ eſt hoſtium vitia in gloriam ſuam conferre. Kuſzewicz narrat. Legat. Zbaravianæ p. 146.

Modus capiendi urbem: capiendo prius Dominum ejus. Carolus V. de Witteberga dixit: niſi capta avis eſſet, nidus in manus noſtras poteſtatemque vix veniſſet. G. Gvil. Kirchmaier diſſert. de Witteb. epiſtolis ad parentem datis annexa p. 240.

Eadem. PRÆLIA COMMITTERE. *Incitamenta* ad fortiter pugnandum: *hoſtes*

Digitized by Google

jam fuerunt ſub majorum poteſtate ; opimâ prædâ potiemur. Boleslaus Audax in expeditione contra Ruſſos milites ſuos hoc modo allocutus eſt: Majores noſtri gentem hanc, ſibi prius incognitam, adierunt, vexarunt, debellarunt; Nos jugum excutientem, & quidem domeſticorum noſtrorum malorum non ſuarum virium fiduciâ, non ulciscemur? non ad officium revocabimus? niſi forte ubertas ſoli illius admiranda, hominum ingens opulentia, & ex rerum copia ortus luxus atque mollicies ab hoc bello vos deterret, milites. At ego nobiſcum hæc omnia contra ipſos facere judico: quin iſta ipſa inprimis ad ſpem luculentæ prædæ nos invitant. Chwalkowski Effata Reg. Polon. pag. 20. 21.

PRÆLIUM. *Medium feliciter præliandi: ſubito hoſtem invadere.* Hollandis mandabatur, cum Dux Indus Gierii cum exercitu accederet, ne prius ſclopeta in hoſtem exploderent, quam ille in propinquo eſſet. Præter opinionem autem hoſtis calcaria equis ſubdebat, longisque ſuis haſtis atque acinacibus in ſocios Hollandorum Indos irruebat, quorum ordines rumpebat. Hi Hollandis permixti etiam ipſos turbabant, ut ſic ambo in ſylvam adjacentem fugere cogerentur. Tappens itin. p. 174. 175. Adjunct. *nonnunquam prælia ex improviſo & intempeſtivè ſunt ſuſcipienda.* Treveris in Gallia Maximianus conſulatum inibat, &, ut moris fuit, vota faciebat in futurum. Vix peracta erant ſolemnia

ſolemnia ſacra, cum nuntius adfertur, Germanos trajecto Rheno accelerare. Eodem ergo die obviam progreſſus vicit, fudit hoſtes, & victor in urbem Trevirorum revertit. Vide adnotationes Cellarii in panegyricos veteres, paneg. 1. 6. 1.

§. 158. SCIENTIA REI MILITARIS. Conſequ. *Ei, qui illa præditus eſt, non facile regiones, quas occupavit, extorqueri poſſunt.* Receptis cunctis partibus imperii Britanniam Romam relinquere Carauſio Batavo, qui antea præfectus literi Bononienſi & Armorico fuerat, cogebantur, tum impares navali bello adverſus virum peritiſſimum gerendo. Interfecto autem Allecti fraude Carauſio Conſtantius & animum & ſpem recuperandæ Britanniæ recepit. Carauſius autem ſeptimo anno fuit occiſus, Allectus poſt triennium, decimo anno Britanniæ receptæ. Cellar. ad Paneg. Veter. p. 97.

Eâdem. FORTITUDO. Officium noſtrum in fortitudine : *prudenter exercenda.* Temperamentum fortitudinis & modus impetûs ita tenendus, ut nihil acrius quam conſideratius excitetur. Sæpe honeſtæ rerum cauſæ temeritate nimia pernicioſos exitus conſequuntur. Kuſzewicz narrat. legat. Zbaravianæ p. 67. Conſequ. tituli honorum Magni Domini tit. Anno 1450. primus adſumſit Johannes Albertowitz Grotzdyn, ſive Baſilii cœci filius, Achmatus Magnus: qui jugum Tartaricum, ſ

Digitized by Google

Moſcoviæ Principes ducentos annos fuerant, excuſſit, Ivanogrod ad Narvam Ruſſicam extruxit: Tweer, Magnam Naugardiam, Siberiam & alios Principatus occupavit. Hennin. adnot. ad itin. Brand. p. 376. 377.

Eâdem. HEROES. Effect. *etiam in juventute virtutis futuræ ſpecimina edunt.* Conſtantinum Galerius objecit pluribus periculis. Nam mandante Galerio in Sarmatas juvenis equeſtris militans, ferocem barbarum (Sarmatarum Ducem) capillis tentis raptum ante pedes Imperatoris Galerii ſupplicem adduxit. Auctor Anonymus, quem Valeſius cum Ammiano edidit. Alius Effectus: *domant monſtra.* Habuit ſuum Polo*niæ* Herculem, id eſt, monſtrorum domitorem Gracum. Hic enim monſtra civilium diſcordiarum ſuſtulit, & Draconem immane monſtrum, quod in ſuſpenſo rupibus antro Cracoviæ habitaſſe dicitur, confecit. Rapiebat beſtia illa à ſpecu montis egreſſa jumenta & homines incautè oberrantes, rictibus horrendis voraciſſimè deglutiendo. Gracus afflictæ Cracoviæ condolens tria corpora juſſit quotidie exponi. Nam his contenta alia non requirebat. Sed & hoc oneroſum erat: propterea ſuapte induſtria excogitavit, ut corporibus, quæ objicienda erant, ſulphur & cauma ignitum ex cera & pice includerentur atque occultarentur: nque bellua tum naturali rabie, tum voraci urie exagitata ſine delectu oblatam prædam raperet

peret atque voraret, ſenſim debilitata eſt. Singul. Polon. Chwalkowski. p. 6. *Merita: imperium.* Tres heroes, Carolus V. Imperator, Franciſcus I. Galliæ Rex, Sigismundus I. Poloniæ digni fuerunt, niſi ſimul imperaſſent, qui toti orbi imperarent. Singul. Polon. Chwalkowski p. 24.

§. 159. VICTORIA. Cauſa: *virtute paranda victoria.* Boleslaus Audax hortatur milites, ut annitantur, ne fortuitò ſed ſua virtute atque fortitudine ſuperiores victorias adepti eſſe videantur. Chwalkowski Effata Reg. Polon. p. 22. 23. *Officium circa victoriam: non debemus eſſe certi de victoria ante pugnam.* Cum ante prælium inter Grunwaldam & Tannebergam arrogans & victoriæ ſecurus Crucigerorum Magiſter Conradus a Tungingen duos enſes ſangvine imbutos mitteret, unum Regi Vladislao, alterum Vitoldo: Rex imperterrito reſpondit animo: bene eſt, accipio lubens gladios, ut omina victoriæ ſecuturæ, cum victoribus victi arma ſua tradere ſoleant. Uti dictum ita factum. Magnam enim & memorabilem Rex, cæſo ipſo ordinis Magiſtro obtinuit victoriam, quam præcipuarum Boruſſiæ urbium ſecuta eſt deditio. Singul. Polon. Chwalkowski. p. 66. Effectus: *præmium victori datur.* Halli Baſſa, qui inſulam quandam Hiſpanicam maris mediterranei occupaverat, in Regiam aſcendit, ibique Cæſar, cum proceres approperaſſent, ſi-

mul cum aliis donis auream veſtem humeris ejus inſtituto ſuæ gentis impoſuit. Kuſzewicz legat. Zbarav. p. 148.

Eadem. FUGA. Adjunct. *Eſt turpis ei præcipuè, qui bellum infert.* Uladislaus Jagellonides Rex Poloniæ & Hungariæ ad Varnam oppidum fugato equitatu Turcico in Janiczarorum phalangem cum paucis invehebatur. Revocare autem ipſum nitebatur Huniades ſed fruſtra. Nam pedem referre turpe & ſe genereque ſuo indignum eſſe duxit, negans ejus eſſe, qui bellum inferret, fugere. Tandem magna circa ſe ſtrage edita, ut vitæ prodigus, ita mortis ſuæ vindex fuit. Chwalkowski Effata Regum Poloniæ p. 54. *Officium erga fugam capeſſentes: interdum longius non ſunt perſequendi.* Dum poſt victoriam contra Rokoſſianos obtentam percunctarentur Duces, an inſtare victis, fugientesque longius Rex Sigismundus III. ſequi juberet: ne, inquit, dum noxios ſeditionis auctores perſequimur, multi eorum fraude in errorem inducti ſimul pereant; ſinamus interim omnes ſaluti ſuæ conſulere. Chwalkowski Effata Regum Polon. pag. 97. Effectus: *fugæ hominem pudet.* Miram in Boleslao Crivoſto Metamorphoſin notat Hiſtoria, quod poſtquam ut verus Martis pullus toties in conſpectum hoſtium veniſſet, victorque ſemper abiſſet, tandem conſpectum hominum vitaverit, aſſiduo ſe domi luctu macerans,

rans, quod à Ruſſis dolo circumventus & in prælio fortiter rem agens à ſuis tamen deſtitutus, non aliter niſi fuga ſibi conſulere potuerit. Sing. Polon. Chwalkowski p. 12. 13.

Eâdem. PAX. *Indicium ſive ſignum pacis: Olea.* Paciferæque manu ramum prætendit olivæ. Æn. VIII. v. 116. Prudentius Hymno 3. vocat eam pacis alumnam baccam. *Quando amplectenda: ante pericula* Zbaravius ad Vezerum inquit: tutiorem pacem, quæ ante pericula caperetur, quam quæ debellato univerſo orbe poſt datas acceptasque clades ab incerta ſorte ſperaretur. Kuſzewicz leg. Zbarav. p. 76.

Eâdem. SECURITAS. Subjectum ſecuritatis ſive *quisnam poſſit eſſe ſecurus: Rex virtute præditus.* Sigismundus I. apud ſubditos tantum ſecuritatis habuit, ut dictitaret, in ſinu ſe cujusque illorum poſſe confidenter ſomnum capere. Chwalkowski Effata Regum Polon. p. 63.

§. 160. METUS. Adjunct. *quandoque vanus eſt.* Mulier quædam, cum pagus Niederſachwerfen a cohorte militari exſpoliaretur, recepit ſe in ſpeluncam prope ſpecum caprarum, & ex illa proſpexit, quam miſere homines à militibus tractarentur. Capris autem in monte illo paſcentibus ſub noctem ad eam ingreſſis, præ timore mortua fere eſt, putans milites ad ſe introrumpere quæſituros ipſam. Errorem

rorem autem agnovit, cum capræ consvetam vocem ederent. Hercyn. curios. Behrens. pag. 83. Effectus: *reddit hominem tutum, securitas autem periculis hominem subjicit.* Dziurdzius intervallis scelerum opprimere Dauterum statuit: prudens, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet, & frequentissimum initium calamitatis esse securitatem. Kuszewicz narrat. leg. Zbarav. p. 116. Alius Effect. *reddit homines quandoque canos.* M. Eckstormius Rector, Prior & Pastor quondam Walckenriethensis refert in epistola quadam, parentibus suis notum fuisse hominem cum paupertate conflictantem, qui ausus sit solus ingredi speluncam Baumannianam: sed, cum candelâ accensâ destitueretur, illum ex ea invenire non potuisse exitum, atque octiduum in ea commorari coactum fuisse: donec tandem singulari ope divina adjutus iterum in luminis auras evaserit, & postea per tempus superfuerit. Hujus hominis capilli ob continuos pavores atque terrores, illo octiduo ipsi obtingentes, canitiem induerant. Variè enim a spectris exagitatus fuerat, his eum furti accusantibus & ad suspendium damnantibus: aliis eum cædis reum peragentibus, judicantibusque, caput esse ipsi amputandum. Hercyn. curios. Behrens p. 23. 24. ubi & sequ. paginis plura auctor adducit exempla.

Eâ-

Eâdem. LUCTUS. *Cauſa: obitus viri eruditi.* Melanchthon anno 1560. mortuus, qui hoc diſticho exprimitur:

PVbLICa res, VIrtVtIs honos, eCCLesIa VIVaX
LVget In InterItV Magne PhILIppe tVo.

Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 11.

§. 161. TEMERARII. Conſequ. *ob ſumma, quæ adeunt, pericula admittunt nonnunquam oris atque vultus figuram.* Viginti quinque homines aliquando in veſpera Petri & Pauli ſub fide juramenti conſenſerunt ſpecum Scharizfelſenſem ingredi, eamque totam perreptare. Sumunt igitur ſecum candelas, ſcalas, fila & victum in aliquot dies, & ultra nongentas Orgyias ſpecum perluſtrantes emetiuntur, conſpiciuntque in eâ integra palatia, varias imagines atque columnas ex lapide ſtalactite conſtantes: præterea limpidas aquarum ſcaturigines, oſſa varia atque integras oſſium compages inſolitæ magnitudinis. Offendunt etiam inter eundum tam ampla ſpatia, quæ omnes viginti quinque juxta ſe invicem uno ordine incedentes complectebantur. Cum autem ulterius penetrare non poſſent, ducentibus eos filis in introitu ſpecûs alligatis e latebris hiſce egrediuntur: atque ita in facie à continuo frigore atque timore deformati fuerunt, ut domum reverſi agnoſci pene non

non potuerint. Hercyn. curioſ. Behrens. pag. 38. 39.

§. 163. VITIA. Mos circa vitia: *noſtra non videmus, cum aliena curioſis oculis perſpiciamus.* Inde proverbium ex Catullo: non videmus, manticæ quod in tergo eſt. Æſopus ajebat, unumquemque duos ſecum gerere vitiis oppletos ſacculos, ſed in anteriori aliena, in poſteriori ſua reponere: indeque fieri, ut noſtra non videamus tanquam a tergo poſita, aliis interim obvia; aliena vero ſemper ob oculos habeamus.

§. 164. OFFENDERE. *Officium erga offenſiones ab alio factas: ſunt diſſimulandæ, nec indementius exagitandæ.* Quædam vulnera attactu recrudeſcunt magis: percurantur melius quiete ac oblivione. Boineburg. epiſt. ad Dieter. p. 89.

Eâdem. IRA. *Effectus: convicia in alios ſparſa.* Vezerus per iracundiam convicia in quosvis rotare ſolebat. Kuſzewicz narrat. leg. Zbarav. p. 85.

Eâdem. ODIUM. Cauſa odii: odium alterius in nos, ſive *ſi alter nos odit, nos etiam illum odio habemus.* Nemo non poteſt non odiſſe illum, a quo odio habetur. Kuſzewicz narrat. leg. Zbaravianæ p. 24. *Medium conciliandi odii in aliquem: crimina illius enumerare.* Dziurdzio Dauterum opprimere ſtudenti promtiſſimum viſum, eum apud Aſiaticos querelis, ceu

ceu auctorem seditionum cædisque Osmani, ac futurum aliquando Turcarum perniciem criminari. Kuszewicz narrat. leg. Zbaravianæ p. 116.

ODIUM sive ODIO HABENTES. *Effectus: Nolunt assimilari rei odiosæ.* Livoni piscibus, quorum ibi magna copia, vesci nolunt, quod Germani eos comedunt, à quibus olim tempore belli miserè afflicti sunt. Itin. Brand. p. 141.

Eadem. DEFERRE. *Officium erga delatores: non semper iis patientem commodamus aurem.* Vevellius Legatum Polonicum ad Husseimum Vezerum deferebat, tanquam cognita nece Osmani Dilaverique multa contra pacta publica tentasset, ideoque in diplomate tributum deleviset: nempe legato infensus, à quo illiberaliter habitum rejectumque se querebatur. Accedebat spes, qua se principem Valachiæ fore ex futuro Turcarum cum Polonis bello, sibi homo avidus dignitatis persvaserat. Atque ut huic bello non consilium modo sed occasionem etiam causamque præstaret, Legatum apud Vezerum violatæ fidei incusavit. Quæ tamen infidi ac Græci hominis esse apud Vezerum credebantur: qui obligatam Legato fidem servare constantiæ famæque duxit, præsertim quod suspectum haberet Vevellium, ad Principatum Valachiæ ambitiosè respicientem. Ea propter in vincula conjectus, gravissimi criminis postulatus est; donec eum arbitrio Legati puni-

puniendum traderet, qui exitio ejus per avitam animi moderationem abſtinuit, ut pateret omnibus, malos cum maximè nitantur in bonorum exitium, fruſtra eſſe: bonos cum in promtu habeant, nocere nolle. Kuſzewicz narrat. legat. Zbaravianæ p. 157. ſequ.

§. 165. TORMENTA. Species: *Ungulæ* tortoris inſtrumentum, quo latera lacerabantur, à ſimilitudine ungularum beſtialium. Prudent. Periſtephanon Paſſ. I, 44. virgas & ſecures & biſulcas ungulas Ultro fortis expetebat. Vocantur ſtridentes unci. Periſtephan. Paſſ. V. 73. Laniandi autem ſuſpendebantur, ut acceſſus eſſet facilior. 204. Alias ſpecies: *Cataſta*, in qua craticula, ut torqueri & ſimul amburi homines damnati poſſent. Prud. Periſt. Paſſ. I. 55.

Seu foret præbenda cervix ad bipennem publicam
Verberum poſt vim crepantum, poſt cataſtas igneas.

Cataſta pegma ſeu machina lignea, in qua damnandi ſtatuebantur. Cell. ad Prud. p. 165. Alia ſpecies: *lamina* quoque *ignita* inter tortoris inſtrumenta. Cic. VII. Verr. c. 63. Cum ignes, ardentesque laminæ, cæterique cruciatus admovebantur. Alia ſpecies, etiam *globuli plumbei* in tortorum inſtrumentis. Prudent. Periſteph. Paſſ. X. 117.

Plumboque cervix verberata extuberet.

Alia

Alia ſpecies: *Fidiculæ*, machina multis funibus ad torquendum intenta. Cell. ad Prud. p. 205.

§. 166. POENA. *Species: quando delinquentes ſe ipſos caſtigant.* Nobiles Livoni, ruſticos ſuos puniturí, duos colligant, qui monitu ejus, qui pœnæ huic exigendæ præfectus eſt, flagra ſibi infligunt. Si autem alter alterum aliquantò violentius feriat, iraſcuntur ſibi invicem, & in acerbiſſimas flagellationes exardeſcunt. Brand. Itin. p. 142. *alia ſpecies:* Cum Caron apud Hollandos militans domum quandam negotiationibus deſtinatam urbis Langesackit in Japonia tormentis munire conaretur, Japonenſes comprehenſo omnes crines barbam conſtituentes forcipe extraxerunt, redituque in inſulam ſuam interdixerunt. Tappens Itinerar. p. 30. 31. *alia ſpecies:* ſingularis olim in Polonia fuit pœna, qua rubris uti veſtibus interdicebatur. Sing. Pol. Chwalkowski p. 84.

POENA cujus contrarium IMPUNITAS. Effectus: *ad nova ſcelera invitat.* Dauterus fugam in ulteriores regiones adornabat, cum Janizari mortem minarentur; inſita vecordia & facilitate priorum flagitiorum. Kuszewicz. narrat. legat. Zbaravianæ p. 114.

Eadem. SUPPLICIUM. Antecedens: Mos antiquus ſupplicio afficiendis *potionem dare*, ut fortiore animo mortem ſubeant. Chriſtiani autem jejunii tempore eam recuſabant. Prudent. Periſteph. Paſſ. VI, 52.

Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes:
Jejunamus, aiet, recuso potum.

§. 167. VERBERA. *Modus verberibus aliquem puniendi.* Strelitzius quidam cum aliis Legato Svecico obviam missus, postquam aurigarum (Poddewodden) aliquem, Legato Brandenburgico ad ministeria obeunda additum, ad alia servitia minis abstrahere conatus fuerat, hunc in modum verberibus (quod battoggiren vocant) castigabatur. Super vestem detractam ventri incumbere jubebatur, quodam Strelitzio in capite ipsius, altero in pedibus genua ponente, qui ambo instructi erant baculis, digiti crassitiem habentibus, longitudinem vero ulnæ: quos ita corpori ipsius infligebant, ut vibicibus repleretur. Id tamen cæso non erat infamiæ, qui & ipse incurvatione corporis pro pœna gratias agere debebat. Brand. Itin. p. 187.

§. 169. EMENDATIO. Officium: *vitam malè actam emendatio sequi debet, nisi velimus jacturam facere bonorum, quæ adhuc possedimus.* Gedeon Antistes Cracovienſis Miecislaum senem in viam reducere conabatur, ut ab impositione tributi atque incognita ante colonis fisci avaritia abstineret. Ille vero respondit: Jure se non injuria quicquam egisse, nec aliter Regnum administrari posse. Nil sibi cum Regibus & Principibus antiquis commune

Digitized by Google

munc esse: se suo sensu suoque ingenio duci; non illorum exemplo actiones suas se moderari, nec ulla persuasione aut pacto ab iis, quæ aggressus esset, desistaturum. Sed cum nullis admonitionibus emendaretur, abrogatum illi imperium est. Chwalkowski Effata Regum Polon. p. 28. 29.

Eadem. IGNOSCERE. Objectum, cui ignoscamus: *ignoscimus iis, qui affectibus abrepti aliquid egerunt, aut ex nostris actionibus peccandi ansam sumserunt.* Quidam ex aulicis Casimiri II. ad aleam invitatus, victusque extremo jactu, cui tota sors producti in serum noctis ludi committebatur, ita efferbuerat, ut vincenti Casimiro & non modicum auferenti, colaphum duceret. Cum noctis beneficio elapsum ac postridie comprehensum, omnium sententiæ capitis reum pronunciarent: Minimè gentium, inquit Casimirus, eum occidi oportere, qui dolore grandis jacturæ incogitans deliquisset. Se magis in culpa esse, qui conditionis suæ ac dignitatis oblitus, eum ad ludendum provocasset. Non modo igitur se illum absolvere, verum etiam ipsi gratias agere, quod se ictu illo admonuisset, ne quid indignum Principe in se admitteret, nec se ludo aut ulli rei levi ac inhonestæ deinceps daret. Chwalkowski Effata Regum Polon. p. 30. 31.

Digitized by Google

EXCERPTA TITULOS THEOLOGICOS ILLUSTRANTIA.

§. Theol. 3. CREARE. *Objectum Creationis est & opus secundi diei.* Quæritur, quare de eo non dicatur, quod Deus viderit illud esse bonum? Separatio aquarum secundo die non absoluta est sed demum tertio, ubi mare operiens faciem terræ certis locis fuit inclusum. De operibus autem tertii diei bis affirmatur, Deum vidisse, quod essent bona. Vid. Clerc. in Biblioth. Choisie Tom. II. p. 263. recensens Adnotat. incerti auctoris in V. T.

§. 6. DEUS SERVAT HOMINES IN UTERO. Johannes Gerhardus, in matris gravidæ alvo adhuc detentus, maximo fuit expositus periculo. Pater enim commoto irritatoque animo magni ponderis fustem in bibacem servum conjectur9, prægnantis maritæ, quæ de improviso obviabat, corpus tam duriter petiit, ut hoc jactu fœtus tenelli jacturam omnes præsagirent. Enixa autem est mater præter spem filiolum, sine ictus quidem indicio, non tamen sine singularis fati præsagio, integrum & illæsum. Zeumeri vitæ Profess. Theol. Jenensium p. 134.

§. 14. VIA LATA. Adjunct. *periculosa.* Tappius via quadam bene trita securus incedebat, sed canes ejus perterriti ad ipsum accurrebant.

bant. Mox videt tigridem viam ad se adfectantem vultuque sibi minantem: Quam cum sclopeto icturus esset, adhuc propius ea accedit, adeo, ut Tappius præ metu sclopetum demitteret, & ingentem clamorem tolleret. Tigris autem fortè misericordia tacta, magno cum rugitu abiit, ipseque hac ratione periculo liberatus est. Tappens Itiner. p. 57.

§. 18. IN PECCANDO HOMINEM RETINET CONSVETUDO. Etiamsi rarò pro centum Ducatis, rusticis Curlandis concedatur libertatem à dominis suis sibi acquirere, illi tamen ita servituti sunt adsveti; ut tantundem de libertate comparanda cogitent, quantum mendicus de vitæ suæ genere relinquendo. Brand. Itin. p. 80.

§. 25. RESURGERE. Etiamsi quis mente statim comprehendere nequeat resurrectionem, non tamen propterea est rejicienda. *Argumentum, quo Justinus Martyr eam probabilem reddit, tale est:* Si anima immediatè à Deo creata, & nondum corpori unita, videret guttam liquoris, ex qua homines concipi possunt, monstrareturque ei in pictura corpus humanum, & miranda ejus dispositio, diceretque quis ei, quod de tali liquore nascatur corpus, quale nostrum est; num illa id posset sibi persuadere, cum nondum vidisset ejusmodi quid fieri? Nihil ominus id est verissimum. Addit Clericus, si rei intellectu præditæ, quæ nunquam

vidiſſet plantam, v. gr. incolis, ſi exiſterent, lunæ, ubi juxta argumenta Hugenii non naſcuntur plantæ, monſtraretur granum, ſimulque aſſereretur, ex ejusmodi grano in planeta, qui ipſis proximus eſſet, naſci plantam, cujus picta in tabula imago ipſis oſtendenda eſſet: ſane, qui ſe plus judicio valere arbitrarentur, non dubitarent affirmare, id fieri non poſſe: & nihil ominus errarent. Vid. Clere Biblioth. Choiſie Tom. II. 342. 343. 344.

§. 30. CURA SALUTIS HABENDA. *Ad eam nos exſtimulare debet cognitio imbecillitatis noſtræ.* Boineb. epiſt. ad Dieter. p. 90. 91. Jam modo acies oculorum intolerabilius hebetescit, quam antehac ſenſi. Deus forte per hoc me admonet veræ vitæ, qua præditi aliquando ex gratia ejus erimus oculatiores.

§. 31 CONVERSIO EX JUDAISMO. *privilegium converſorum Judæorum:* ſingulare converſis Judæis beneficium exhibet ſtatutum Lithuanicum, quod nimirum, ſi Judæus vel Judæa religionem Chriſtianam amplexus fuerit, Nobilitatis prærogativam una cum ſobole acquirat. Singul. Polon. Chwalkowski. p. 64. 65.

§. 32. CONSENSUS PATRUM. Conſequens. officium noſtrum erga illum: *non ſemper magni faciendus.* nam conſentiunt ſæpe in re, quam neſciebant, quæque fundamento deſtituitur. ex. gr. quando plerique dicunt

ad

ad Gen. VI. 4. Dæmones commisisse adulteria cum fœminis. vid. Clerc. Biblioth. Choisie Tom. II. p. 335. 336.

§. 36, SCRIPTURA INTERPRETANDA. *Officium interpretis: perlustrare veteres & novos exegetas.* Petrus Piscator sacras literas & scripta veterum simul & recentiorum interpretum ita excussit, ut collegæ illius dicere non dubitaverint: pauciſſimi norunt ea, quæ Piscator noster ignoraverit. Zeumeri vitæ Profess. Theol. Jen. p. 119.

SCRIPTURAM DOCTORES DEBENT INTERPRETARI. *Ad hoc ipse nonnunquam præmiis invitantur.* Anno 1600. Illustres unitarum Provinciarum Status Generales Drusio injungunt, uti Commentarium sive notas scribat ad loca difficiliora veteris Testamenti, expensis super illa interpretibus Chaldæis, Græcis & Latinis, idque sub conditione 400. Florenorum in aliquot annes pro stipendio numerandorum. Quod opus a Drusio auspicatum, ut in eo feliciter progredi posset, Illustres prædicti Ordines ad Amplissimos Frisiæ Ordines Deputatos d. 18. Maji 1601. literas dant, in quibus humanissime petunt, Drusius ut omnibus istis oneribus & incommodis eximatur, quæ opus illud Reip. Christianæ maxime profuturum, ullo modo impedire possent. Exemptus igitur est ab oneribus & curis academicis, conceſſumque, ut lectionibus ordinariis

quendam ſtudioſum præficeret, operaque amanuenſis ipſorum ſumptibus uteretur. Abelus Curiander in vitæ operumque Druſii delineatione. *Non autem in cœtu Eccleſiaſtico Ethica Ariſtotelis ſunt interpretanda*, ut ſcribunt, Philippum Melanchthonem Tubingæ Monachum quendam pro concione, miſſa Evangeliorum doctrina, Ethica Ariſtotelis explicantem audiviſſe. Zeumeri vitæ Profeſſ. Theol. Jenenſ. p. 10.

§. 39. ETHNICI. Nomen: *pagani dicti*. Clauſis enim à Chriſtianis Principibus, quæ intra urbes erant, Deorum fanis, illorum cultores in pagis ſacra liberius fecerunt, Cell. in Prudent. p. 197. Adjunct. *non ſemper uſi imaginibus*. Gaditani colunt eodem templo ambos Hercules. Simulacra illis nulla ſunt; ſed Ægyptio quidem aræ duæ æneæ absque ſimulacro; Thebano autem una tantum. Philoſtratus de vita Apollon. V. 1.

Eadem. IDOLA. *Jupiter, Attis & Bacchus videntur iidem fuiſſe*. Cornua habet Bacchus, habet etiam Jupiter. Bacchus γιγαντολέτης dicitur ob victoriam de Gigantibus: Jupiter etiam devicit Titanas. Bacchus dicitur Τελεσιάρχης ſive primus rerum ſacrarum inſtitutor; quia antiquiſſimus Deorum cultus in Phrygia cœpit ſub Corybantibus, qui Jovis feſta celebrabant. Attin Eunuchus credebatur; Baccho itidem pudenda exciſa. Attin idem cum ſole:

&

& Bacchus ſol eſt. Vid. Lampe de Cymb. III. 8.

Eadem. BACCHUS. *Forma:* Baccho bubulum aut taurinum cornu aſſignatum eſt: inde à poëtis ταυρόκερως & ταυρόμορφος, taurique habitu à Cyzicenis cultus eſt. Ægyptii etiam taurina ſpecie repræſentarunt Bacchum. Kirchmaier. ad Abbatem Gerardum epiſt. p. 151.

§. 41. COMPATRES. Adjunct. *multitudo.* Dux Holſatiæ Magnus, cui Czarius Johannes Baſilowitz cum fratris Gregorii filia Maria anno 1572. Livoniam dedit, filiam, poſtquam jam triginta hebdomadas vixerat, adſiſtentibus octoginta compatribus baptizari juſſit. Hennin. adnot. ad itin. Brand. p. 347. 353.

§. 45. CONCIONATORES. Subjectum: *Munus concionatoris aliquando Reges obierunt.* Poſtquam Jagello cum Chriſtiana religione nomen Uladislai & coronam ſuſceperat, in Lithuaniam proficiſcebatur, ubi Apoſtoli & Evangeliſtæ officio functus, ita elaboravit in promovenda fide Chriſtiana, ut ipſemet in templo interpretatus ſit Symbolum Apoſtolicum tanto ſucceſſu, ut per annum regio iſta ab Ethnica ſuperſtitione repurgata ſit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 16.

Eadem. DOCTORES VOCANDI. Conſeqv. *interdum viri graves non acceptarunt vocationes.* Quamvis Johannes Gerhardus

Digitized by Google

singulis fere annis in alios locos vocaretur, & præcipue Praga, Lipsia, Witteberga, Argentoratum, Rostochium, Helmstadium, quin & academia Sorana in Selandia. Upsalia in Svecia, Marburgum, Hamburgum aliæque civitates operam ejus expetierint: Salana tamen Academia ea fruita est felicitate, ut tantum Ecclesiæ lumen Dei munere retinere liceret. Zeumeri vitæ Profess. Theol. Jenens. p. 138.

Eadem. CONCIONATORES ORDINANDI. *Quando inceptum sit ritu Evangelico id facere?* Georgius Rorarius omnium primus ritu à Luthero præscripto Witteberga d. 14. Maji 1525 ordinatus est, quam initiationem Caspar Conradus sic describit:

Ordo mihi primus datus, instituente Luthero.
Papa quid insultas? ad sacra jussus eo.

Zeumeri vitæ Profess. Theol. Jenens. p. 26.

§. 49. TEMPLA. *Causa moralis incitans ad templa exstruenda: spes victoriæ.* Marcellus, cum Syracusas obsideret, duo templa Honori & Virtuti, si cepisset, se Romæ dedicaturum vovit, quæ etiam ex præda condidit. Cellar. in adnot. ad Panegyr. Vet. p. 64. *species:* Romæ basilica Laterani ædes olim Plautii Laterani à Nerone interfecti. Cell. ad Prud. p. 436. *locus: prope sepulchra martyrum.* quod enim ad martyrum sepulchra orabant veteres Christiani, etiam, oratoria & sacella ibi fuerunt condita. Cellar. ad Prudent. piis. Adjunct. *quadam plu-*

ri-

ribus Numinibus fuerunt communia. Sic commune fuit templum Herculis & Muſarum. Fulvius enim Nobilior Muſarum imagines Ambraciæ repertas Romam tranſtulit, & poſtea Cenſor, condita æde Herculis Muſarum dedicavit. Acceperat quippe, Herculem Muſagetam eſſe, id eſt, Comitem Ducemque Muſarum. Mutuis namque opibus & præmiis juvari ornarique debent, Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum. vid. Panegyr. III. ſive Eumenii pro reſtaurandis ſcholis c. 7. & adnot. Cellarii.

Eadem. ARA. locus: *ara victoriæ in veſtibulo curiæ ſtatuta*, quam Conſtans & poſtea Conſtantius everterunt, quamque Symmachus reſtituit poſtulavit. Cellar. ad Prud. p. 399. *Adjunct*: *pulvinar*. pulvinari autem in ara ſimulacrum Dei impoſitum erat. Cell. ad Prud. 229. pulvinar ſæpe pro ara & templo ponitur, ut in formula, *ad omnia pulvinaria ſupplicatio decreta eſt*. Cic. III. Catil. 10. pulvinar habere, id eſt, pro Deo coli. Orat. Philipp. II. c. 43.

§. 50. SACRIFICIA. *Repugnans ſacrificio Gentilium: præſentia Chriſtiani.* Formula, qua Chriſtiani paganorum ſacrificiis exeſſe jubebantur: lotus procul abſit & unctus. Loti ſunt baptizati: uncti chriſmatis ritu notati, quo Spiritus S. unctio ſignificatur. Cell. ad Prud. p. 287.

§. 50 FESTA. Species: *Bacchanalia*, in quo-

Digitized by Google

quorum furore cingebantur serpentibus. Quidam eos admordebant, unde Prudent. libro I. in Symmach. 130. virides discindunt ore chelydros. *Kalendæ Januariæ*, quibus sub specie publicæ hilaritatis omnis generis lascivia & superstitiones colebantur; qui mos ab Ethnicis in Christianos transfusus fuit, à S. Maximo homilia de Calendis Januariis acriter notatus. Cell. adnot. ad Prud. p. 420. Officium *erga Festa Christiana; solenniter sunt celebranda, & in iis à laboribus abstinendum: alias pœnæ divinæ nos obnoxios reddimus*, Casimirus Magnus, cum anno 1370. die festo, dissuadentibus suis, venatum abiisset & cervum insectaretur, equus eum impetu lapsus est, ut carnosum Regis corpus conquassatum & mors subsecuta fuerit. Singul. Polon. Chwalkowski p. 15.

Eadem. CEREMONIÆ. species: *signi crucis formatio*. Russi cruce se signaturi, sumunt duos priores digitos à pollice suffultos, eosque movent à capite ad umbilicum, & deinde à dextra ad sinistram, his additis verbis: Mi Deus JEsu Christe, miserere mei propter tui memoriam, Amen. Brand. itin. p. 257.

§. 52. PAX ECCLESIASTICA. Officium nostrum in ea: *tunc de bello cogitandum*, nam etiam illo tempore varii hostes oriuntur. post tempestates persecutionum, cum ecclesia jam in portu aut litore videretur esse; en subito adrepit & caput extollit Symmachus (aram Victo-

riæ

riæ reſtitui cupiens) non gravius tamen mordens Chriſticolas, quam aſpis manum Pauli.

§. 53. MARTYRES vel MARTYRIUM. *Incitamentum ad martyrium*: *paupertas & carentia conjugis.* Veteres Chriſtiani, priusquam tuba perſecutionum inſonuiſſet, de nihil habendo providebant, ne ad agonem pro veritate & pietate erga Dominum ſuſtinendum impedirentur. Boineburg. epiſt. ad Dieter. p. 55. Tempus *ſive dies, quo martyres ſupplicio affecti ſunt & immortales renati, eorum natalis dicitur.* Petrus Chryſologus ſerm. 129. Natalem ſanctorum cum auditis, cariſſimi, nolite putare illum dici, quo naſcuntur in terram de carne; ſed de terra in coelum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias æternas. & paulo poſt: natales martyrum annuâ lætitiâ celebrantur.

§. 55. ADVENTUS MAGORUM. Actiones vel *dona Magorum* Sedulius l. 1. ſic interpretatur:

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,
Tura dedere Deo, myrrham tribuere ſepulchro.

§. 56. CHRISTUS CRUCIFIXUS ſive CRUX CHRISTI. Effectus: *Crucem nobis facit leviorem.* lignum, quo ſapiebant aquæ aſperæ dulcius Exod. XV. 25. eſt figura crucis Chriſti, qua omnia amara dulceſcunt. Nam præfixa cruci ſpes hominum viget, hoc eſt, ſpes poſi-

posita est in illa cruce. Vid. Cellar. adnot. in Prud. Hymn. V. Cathem. 95. 96.

CRUX. Adjunct. *gentiles plurimis in rebus, præsertim sacris, aliquid religiosum subesse cruci existimarunt.* manubria quædam Cymbalorum constabant ex forma consimili cruci. talia exhibet Pignorius in initiis matris Deum atque Attidis. Lampe de Cymb. II. 3.

§. 62. CONTRITIO. Adjunct. *carni acerba est.* ut illa medela Tobiæ ex felle Tob. XI. 13. qua significatur, quam amara egenis peccatoribus sit animæ curatio, quando lux nova & spiritualis mentem intrare debet: quod sine multa acerbatione fieri non potest. Cellar. adnot. in Prudent. p. 65.

§. 70. SECURITAS FUGIENDA. quia *etiam sanctissimis operationibus occupati, in periculum incidere possunt.* Ad murum Nordhusani templi S. Cyriaci reperiuntur octo cruces ex rubris arenosis lapidibus: sub tecto autem Sacerdos genibus incumbit habitu sacerdotali vestitus, dextraque cœlum versus calicem tenens. Indicatur hisce, adhuc sub Papatu, Sacerdote inter populum hostias in Sacra synaxi dividente, ortam esse procellam tonitru mixtam, quam pluviæ ingentes exceperunt; cujus aquæ Sacerdotem cum communicantibus atque ædificiis abduxerunt. Campana Templi post aliquot menses in loco palustri à sue eruta; unde tractus ille *fossa suis* dictus fuit. Hercyn. curios. Behrens p. 119.

§. 78.

§. 78. CONFESSIO VERITATIS. Officium noſtrum in ea: *confiteri debemus veritatem, etiamſi ab hoſtibus ejus affligamur.* Johannes Voitus, Davidis Profeſſoris per tempus Jenenſis pater, primum Vinariæ Monachus Franciſcanus fuit: deinde ex lectione librorum Lutheri veritatem agnitam, tam in lectionibus quam in concionibus profeſſus eſt. Quare omnes Monachi Johannem Voitum Lutherana hæreſi infectum clamitare, à colloquio & conſortio fratrum arcere, & Diabolo tradere cœperunt. Inter prandendum & cœnandum humi repere, micas colligere, Monachorum pedes oſculari ac flagellis ſe cædere eſt coactus. His tamen omnibus ſpretis, Cal. Jan. 1523. juſſu Principum concionatus, hominem non operibus ſed ſola fide apprehendente & applicante ſibi Chriſti meritum juſtificari diſerte dixit: qua concione crabrones ita irritavit, ut de diſceſſu cogitare neceſſe habuerit. Relicto ergo Monaſterio, annos aliquot Johanni Duci Saxoniæ à concionibus fuit, & poſtea Ronneburgi Paſtoris & Inſpectoris officio functus Evangelium docuit. Zsumeri vitæ Profeſſor. Theol. Jenenſ. p. 87. 88.

§. 84. JEJUNARE. Adjunct. *Jejunium ſanctè colebatur à priſcis Chriſtianis*, ita, ut nollent potionem, quo fortiore animo mortem ſubirent, oblatam, recipere tempore jejunii, quod ad horam nonam usque durabat. Prudent. periſteph. Paſſ. VI. 52.

Quos-

Digitized by Google

Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes:
Jejunamus, ait, recuso potum.
Nondum nona diem resignat hora:
Nunquam conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipsa meum sacrum resolvet.

§. 86. TERRENA CONTEMNENDA. *Quia Deus opes, quarum ipsius causa jacturam facimus, alia occasione abundanter restituit.* Cum Hispanorum Monarchæ ipsis animis in Belgio compedes injicere tentarent, plurimi fuerunt veritatis confessores, qui opes & fluxas divitias puriori Religioni donarunt. Inter hos fuit ex Flandrica Nobilitate Arnoldus von Brand, Johannis Arnholdi von Brand avus, qui amplissimarum, quas habebat, conditionum quam Veritatis desertor audire malebat. Contulit autem se ad Auriacos Principes, donatus mox à Magni Regis Britannorum Wilhelmi Avo Friderico Henrico Arausionis Principe, & Belgii Fœderati terrâ marique Gubernatore, Legionis Chiliarchæ & Præfecti Daventriensis, quem Belgæ Stad-houder vocant, dignitate. Ita Deus O. M. suis prospicit, & eos, qui sua illi donant, alibi locorum provehit. Hennin. Laudat. Funebri, quâ Dn. Brand. parentavit, annexa Itin. Brand. p. 459. 460.

§. 89. GLORIA MUNDANA CONTEMNENDA. Nos magis decet, quicquid a nobis prodit, sub Christiana disciplina contemnere

temnere inaffectata animi demissione, quam ut vel tantillum alienis placendi studiis efferamur. Boineb. ad Dieter. p. 81.

§. 98. DIABOLUS QVOSDAM PER AEREM ABDUCIT. Mercenarius quidam *Hans Schirmer* incola loci Elterlein anno 1696. d. 17. Aprilis prope Schatzenstein ligno cædendo operam dans, audiebat circa horam undecimam vel duodecimam meridianam eminus vocem væ! væ! videbatque grandem massam pallidi ignis in aëre appropinquare, in cujus medio aliquid nigricans apparebat magnitudinem pilei habens, ejulatumque priorem subinde repetens. Offendit tandem ignis ad proceram abietem à reliquis semotam, scintillis undiquaque dispersis; nigricansque illud sensim demissum est, mulierisque nigra veste indutæ, nudis pedibus lacerisque manicis, in aëre pendentis figuram ostendit, quæ manus pedesque moveret. Ignis autem semper ad eam descendit, eamque quasi firmam tenuit per tantum temporis spatium, quo quis orationem Dominicam ter absolveret: donec is lentè rursus eam attraheret. quod dum fit, mulier aliquoties exclamat: Ah! succurrite mihi. Cinxit jam iterum eam ignis, mulieremque ejulantem non recta, sed per angulos abduxit. vid. Tentzelii Curiosa Bibliotheca repositorii I. locul. 1. p. 75. seqv.

§. 100. TENTARI. Subject. *A tentationibus viri docti non sunt excepti.* Matthias Flacius

siveFlachius,ab aliisFrancowiz dictus,&Albonæ oppido Illyrici in lucem editus,anno 1541. Wittebergam profectus,Lutherum & Melanchthonem audivit,atq; tentationes graves de peccato, de ira Dei,de Prædestinatione sustinuit, quas etiam ad D.Pomeranum & ipsumLutherum detulit, atq; ab illis tandem post preces etiam publicè pro eo habitas, & literarum Sacrarum consolationes auditas, liberatus fuit. Zeumeri vitæ Profess. Theol. Jenens. p. 35.

§. 101. LÆTANDUM IN CALAMITATIBUS. Familiares Legati Zbaravii, cum contra eos, qui Legatum die sequente in captivitatem abrepturi erant,se defendere statuissent, crebris ignibus factis plerumq; noctis, more suo, quem acuebat ipsa spei desperatio,lætari,exultare, strepere vocibus. Kuszewicz leg. Zbarav. p. 138.

Eadem. CHRISTIANI VINCUNT SATANAM.Causa: *Victoria Christianorum Deo accepta referenda.* Olim in gremio Jovis Capitolini victores lauream deponebant. Cell. ad Pan.vet. p.125.

§. 102. CRUCIS FELICITAS. *Efficit feroces mansuetos.* Lupi,quando capti sunt,multo mansuetiores,quam alias esse dicuntur. Hercyn. curios. Behrens p. 170.

§. 103. DEUS LIBERAT EX MISERIIS. *Exemplum:* Cum Tappium Elephas persequeretur, & vix decem passibus ab ipso abesset,vidit idGermanus quidam,tympanumq;,quod parabat,pulsans feram stitit. Itin. Tappens p. 55. 56.

SOLI DEO GLORIA.

Digitized by Google

Auctores Præcipui, ex quibus hæc Adminicula Sapientiæ atque Eloquentiæ desumta sunt.

Clarissimorum Virorum ad Georg. Caspar. Kirchmaierum Epistolæ, quæ supersunt cum ejusdem Epistolis nonnullis Wittebergæ. 1703.

Joh. Christiani L. Baronis de Boineburg Epistolæ ad Joh. Conradum Dietericum, cum viveret, Professorem Historiarum in Academia Giessensi exaratæ. Noribergæ 1703.

Johann Arnholds von Brand Reisen durch die Marck Brandenburg, Preussen, Churland, Liefland., Pleßcovien, Groß-Naugardien, Tweerien und Moßcovien, dabey eine Beschreibung von Siberien: alles nachgesehen und vermehret durch Henrich Christian von Hennin. Wesel 1702.

David Tappens 15. Jährige Ost-Indianische Reise-Beschreibung, so sich im Jahr 1667. angefangen. Hannover und Wolffenbüttel 1704.

Singularia quædam Polonica a Nicolao de Chwalkowo Chwalkowski exhibita Varsaviæ 1696.

Ejusdem Effata Regum Poloniæ, Varsaviæ 1694.

Narratio Legationis Zbaravianæ & rerum apud

Digitized by Google

Otthomannos Anno 1622. geſtarum, conſcripta a Samuele Kuszewicz. Dantiſci 1645. Obiit hanc Legationem Chriſtophorus Zbaravius.

Hercynia curioſa, oder curiöſer Hartz-Wald, das iſt, ſonderbare Beſchreibung und Verzeichniß derer curiöſen Hölen, Seen, Brunnen, Bergen, und vieler andern an und auff dem Hartz verhandenen denckwürdigen Sachen, heraus gegeben von D. Georg Henning Behrens Nordhauſen 1703.

M. Joh. Caſp. Zeumeri vitæ Profeſſorum Theolog. omnium, qui in Academia Jenenſi vixerunt. Jenæ.

Friderici Adolphi Lampe de Cymbalis Veterum libri tres, Trajecti ad Rhenum 1703. ſcripſit dedicationem Franequeræ d. 11. Maji.

Adnotationes Chriſtophori Cellarii ad Aurelii Prudentii Clementis, quæ extant. Halæ 1703.

Ejusdem Adnotationes ad duodecim Panegyricos ex ſeculo a Diocletiano ad Theodoſium ſuperſtites.

) o (

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum præcipuarum in ipſis Adminiculis Sapientiæ & Eloquentiæ collectarum.

A.

Academiæ privilegiis ſunt ornandæ 152
Acidum morborum cauſa dicitur 238. ſq.
Admonitio aliorum vox amici 184
Adorare quid ſit? 223
Æquator. Circa hunc interdum pluit. 212
Aër marinus urſis intolerabilis 164
Æris adjuncta 167
Æſtum quando ſentimus in hyeme 163
Ætates quatuor hominum 176
Affectus moderati eſſe debent. 179
Ambsdorff Nic. ab 148. ſeq.
Amicitiæ indicium eſt admiſſio advenientium non retardata 221. *culta opes auget* 221
Anates capiendi modus 194
Animalia ad ſedandam hominis famem occidi poſſunt 169. ſeq.
Annorum deſignatio 176
Antiquitatis indicia ſunt obſcura principia 176. ſ.
Apes ut revocentur, quæ adhibenda media? 170
Apoplexia. ab hac doctores in ſuggeſtu non ſunt tuti. 240
Aquæ bibitio dicitur medium recuperandi viſum. 172. ſeq.
Ara victoriæ ubi ſtatuenda? 267

Digitized by Google

Attis idem ac Jupiter. 264
Avaritia periculosa 194
Avarus mancorum more curvatas manus adhibet 195. *pauperibus sua eripit* 194
Aulica vita cum pericu is conjuncta 208
Aulici dominorum suorum salutantur amici 208
Auri scobs instar arenæ 168

B.

Babinensis respublica 202
Bacchanalia, festum 267 *seq.*
Bacchus idem cum Jove esse creditur 264. *huic cornu taurinum affingitur* 265
Bayerus Jo. Guil. 238
Bechmannus Frid. 151
Bestiæ interdum infantes nutriunt & educant. 220
Bibens ultimo de recens infuso bibere incipiat 229
Bibliothecæ usui publico inservire debent 160
Boineburg 152
Bona fortunæ sunt inconstantiæ signum 180
Borellius Guil. 151. 160
Bullarum causa 165

C.

Calamitatibus pressi honorem Dei amplificare debent 236 *in his lætandum* 274. *ex his Deus miraculose liberat* 274
Calcei ænei 234
Capelle Alex. a 150
Capillos Livoni sponsæ, in signum amissæ virginitatis, abscindunt. 171

Caro

Digitized by Google

Caro Indorum carne Germanorum dulcior putatur 171
Caſtitas conjugum 216. *ſeq.*
Caſtrorum portæ 244. *Ornamentum eorum fuere penna pavonis* 244
Cereviſia incendi poteſt 229
China. Ibi nihil, quod non libratum, venditur 189
Churlandia. Ibi fruges ſiccantur. 168. *pauca profert poma* 169
Cibus hominibus voluptates excitat 226. *non ſemper caro eſſe debet* 227
Cingulum inſigne militum 235
Cæci in collegiis cum applauſu multos erudiunt 173
Cæcitatis cauſa dicitur Eſus piſcium 173
Cælibatus dicitur Hageſtoltz 217
Cœnaculi ornatus. 236
Collegæ æqualis ſunt poteſtatis 208
Cometarum cauſa eſt miſericordia Dei 162. *quid prænuntient?* 163
Commercia quomodo exercenda? 189
Compatrum numerus qualis? 265
Concionatoris munus interdum reges obierunt. 265. *qualia pro concione themata pertractare debeant?* 264. *Ordinandi* 266
Conjugiorum occaſio 213. *finis eſt generatio prolis* 214. *ad hoc perveniendi modus* 215. *ob colendam ſapientiam non differendum* 215. *veram religionem apud infideles propagat, & diœceſes conjungit* 215. *multa mala impedit.* 215. *ſeq.*

Conjugum caſtitas. 216. amor in & poſt mortem. 224
Conſenſus Patrum non ſemper magnifaciendus 262
Conſilium vafrum & obliquum 183. non in loco publico ſed privato capiendum 183. ſeq. bonum ſequendum 184
Conſtantiæ exemplar ſunt Tartari 180
Conſtantinopolitanæ ſtatuæ 224. *ſeq.*
Conſulis ſceptrum 209
Contentiones multis exilium efficiunt 237
Contritio carni acerba 270
Converſatio malorum fugienda 200
Converſorum judæorum privilegia 262
Convicia in alios ſparſa 254
Convivium. in paganis roſæ & unguenta 230
Cornua robur & ſuperbiam denotant 170
Crabbeus Jo. 163
Cracovia, urbs 210
Creationis objectum 260
Crucis ſigno Ruſſi ſe ſignant 268. Crux Chriſti nobis ſolatio eſt. 269. huic religioſum quid ſubeſſe creditur 270. feroces reddit manſuetos 274
Cultros ſecum geſtare Ruſſicis non licet 228
Cundiſius Gothofr. 240
Curioſitas quandoq; eſt periculoſa 146
Cymbalum, poculorum ſpecies 229. eorum forma 231. ſeq. uſus. 232

D.

Dantiſcanum Gymnaſium 157

Dela-

Digitized by Google

Delatoribus patientes aures non commodanda. 255
Deſiderium quandoq; impletur 179
Deus homines in utero ſervat 260
Diabolus quosdam per aërem abduxit 273. *hunc Chriſtiani vincunt* 274
Dillherrus Jo. Mich. 154. ſeq. 157. 188
Diſputationes quosdam ad ſententiæ, imò & religionis mutationem impellunt 160
Divinationes recentiores de ſucceſſione regum quorundam 182
Divitiæ homines neutiquam vere felices reddunt 185
Divortia prohibita 217 *ſeq.*
Docti ſunt interdum pauperes 152. *cum illiteratis verſari haud recuſent* 153. *in diſſita nonnunquam loca ad res obſcuras illuſtrandas vocantur* 153. *apud exteros etiam ſui admirationem excitant.* 154. *donis quandoq; à principibus afficiuntur* 154. *ſeq.*
Doctores novi ſenioribus interdum præferuntur 155
Domus partes vel inferiores vel ſuperiores 235. *interdum in montibus extruuntur* 235. *ſeq.*
Dona legatis data. 196. *ſeq. non ſemper homines faventes reddunt* 197
Dracones ſunt vexillorum inſignia 244
Druſius Jo. 145. 218. ſeq. 223. 263

E.

Eclipſeos concomitans 162
Edere in conſpectu omnium 229

Educant interdum beſtiæ infantes 220. *Educandi modus* 221
Elati à fortuna lapſui ſunt propinqui 205
Eloquentia nobis favorem conciliat 200
Emblemata, quid ſint? 204
Emendatio vitam malè actam ſequi debet 258. *Ejus cauſa eſt exploratio judiciorum de nobis aliorum* 180
Epiſtolas perferunt tabellarii 201. *judicia de viris doctis proponunt* 201. *prolixæ ſcribentis indicant eruditionem* 202
Equitantes an ſemper calcaribus opus habeant? 190
Equorum nomina 171. *ægrotantium medicina* 241
Eraſmus Roterodamus 152. *ſeq.*
Erpenius Thom. 149. 153. 154. 159. 160. 177. ſeq. 235
Erroribus addicti officiis non ſunt præponendi. 148. *ſeq.*
Eruditio filiorum eſt ſingulare parentum decus 146. *ad hanc colendam incitamentum* 148
Ethnici olim dicti Pagani 264. *imaginibus non ſemper uſi ſunt* 264
Evangeliorum loco monachus quidam pro concione Ariſtotelis Ethicam explicuit 264
Eunuchi quidam in cultum deorum facti 217
Exagitatores ſimplicibus varias moleſtias creant 225
Exequiæ Indorum 224
Exilii cauſa ſunt quandoque contentiones 237

Digitized by Google

F.

Fames. Remedium contra eam. 227
Familiaritas cum hominibus gravibus & ſapientibus colenda 221. *ſq.*
Feldkirchen Barth. Bern. à 216
Felicitas interdum differtur 187. *ſq.*
Ferri origo ab idæis dactylis. 167. *ſq.*
Feſtum. Bacchanalia & Kalendæ Januariæ. 267. 268. *ſolenniter ſunt celebranda.* 268
Fides virtuoſis habenda eſt. 191. *ſq.*
Filios a ſtudiis parentes non arcere debent. 146. *ſq.*
Flacius Matthias. 273. *ſq.*
Florentia urbs digna, quæ Feſtis monſtretur. 210
Fluviorum motus interdum ventorum cauſa eſt. 164. *confluentes non ſtatim aquas miſcent.* 165
Fortitudo prudenter exercenda. 247
Fortuna inconſtans. 180. 187.
Fragilitatis ſemper memores ſimus. 161
Fratrum matres ſunt quandoque eorum ſorores 220
Frigus non ſemper fruges corrumpit 164
Front M. Corn. 200
Frugalitas res noſtras firmat 194
Fruges in Churlandia ſiccantur 168. *cuſtodiendæ ſunt* 192
Fuga ei turpis, qui bellum infert 250. *hanc capeſſentes non ſunt longius perſequendi* 250
Fures Lavernam invocant 197
Furti pœna 197

G.

G.

Generatio fit commixtione ſeminum 174
Geographica tabulæ olim in porticibus viſebantur 212
Gerhardus Jo. 260. 265
Gladiator eſt mirmillo 233. *eorum arma* 233. *verbum: Hoc habet* 233. *officium erga hos* 233
Gladio non utuntur legati principem adeuntes. 244
Glaſſius Sal. 199
Golius Jac. 150. *ſeq.*
Græca lingua addiſcenda 152
Gratulari viris ſummis poſſunt homines infimi ordinis 184
Graunt Jo. 153
Grotius Hugo 190. *ſeq.*
Gymnaſium Dantiſcanum 157

H.

Habitationes commodæ 235
Hæreticis honeſta denegatur ſepultura 223
Hageſtoltz, quid ſignificet? 217
Hammerus Chriſtoph. 157
Heroës in juventute jamjam virtutis ſpecimina edunt 248. *monſtra domant* 248
Hiſtoriam viri docti ſcribere debent 180
Honores interdum conſequuntur homines deterioris ſortis 198. *nimium non ſunt recuſandi* 198. *in honore conſtitutis remedia calamitatibus futuris ſunt diſpicienda* 199

Digitized by Google

Hoſpitales liberalia peregrinantibus præbent diverſoria 222
Hoſtis ut vincatur, cauſa ſunt quandoque nebulæ 165. *ſeq. ab iis perſequendis tempeſtas impedit* 166
Humilitas regna oblata ſpernit 225
Hyems quandoque æſtum vernalem gignit 163
Ejus initium 176
Hypochondriacus morbus eſt pertinax 239
Ejus ſedes & effectus 239. *remedia* 239. *ſeq.*

I.

Januariæ Kalendæ, feſtum 268
Jejunium à priſcis Chriſtianis ſanctè cultum 271
Ignavi ad labores ſunt impellendi 192
Ignis ex ſilice excuti poteſt 163. *ignium accenſiones ſolennes apud Turcas* 230
Ignivomam artem quinam invenerit? 181
Ignoſcere quibusnam debeamus? 259
Imperatores. Officium circa eos 205
Impunitas ad nova ſcelera invitat 257
Incendium extinguendum 237. *quandoque bonum omen* 237
Inconſtantiæ ſignum ſunt bona fortunæ 180
Interpretis officium 263
Invidi ſibi ſuisque nocent 185
Jocorum materia 202
Jonas Juſtus. 161. *ſeq.* 241
Itinerum impedimenta 190
Junius Franc. 156

Digitized by Google

Jupiter nonnullis idem eſt ac Attis & Bacchus. 264
Juramentum ſanctè ſervandum 191
Jus Naturæ jurisprudentiam adjuvat 190

K.

Kalendæ Januariæ, feſtum 268

L.

Lacus quomodo fiant? 164
Ladislaus, per anagramma: das villas 195
Latinæ linguæ ſcientia quosdam ad honores evehit 151. *ſeq.*
Latrocinia mirabili ratione deteguntur 197. *ſq. frigore puniuntur* 198
Legati & advenæ libenter videntur 171. *his dona danda* 196. *ſeq.* 209. *non ſunt interdum ejusdem nationis cum iis à quibus mittuntur* 209. *principem adeuntes gladio non utuntur* 244
Legatio Zbaraviana 172
Lex. Earum autores 181. *ſeq.*
Liberales ſunto reges 195
Liberalitas liberalitatem provocat 196
Liberi interdum veſtigia parentum premunt 220
Libertas omnibus modis eſt defendenda 221
Lingua ſerpentis triplex 170
Linguarum ſtudioſi loca ipſa adeunt; ubi illæ ſunt

ſunt vernaculæ 150. *has quidam interdum brevi addiſcunt* 151
Ludo nimio bona amittuntur 233
Lunæ influxus ventum quandoque excitat 164
Lutherus Mart. 161. *ſeq.*

M.

Magia in Theſſalia olim culta 181
Magnetiçis experimentis multum operæ impendendum 166
Major Jo. 200. 231
Major Jo. Dan. 241
Major Jo. Job. 248
Marmoris lapidicinis nobilia loca 166
Martyr. in eorum ſepulchris quandoque miracula fiunt. 179. *eorum natales* 269
Martyrium. ad hoc ſubeundum incitant paupertas conjugisque carentia 269
Maſruca ſ. Maſtruga, Veſtis 234
Matris foecunditas & felicitas 219
Medicina accuratior aſtudia impedit 241
Mel atticum 228
Melanchthon 253
Mendicantes Deos circumgeſtant 236. *ſq.*
Mercatura in inſula Delos celebris fuit 189
Merula Guil. 151
Metallifodinæ quandoque caſu inveniuntur 166. *ſq. ab Indicis ſocietatib9 non exercentur* 167

Meta-

Digitized by Google

Metaphyſica amanda & excolenda 160. *ſq.*
Metus interdum vanus eſt. 251. *ſq. hominem reddit tutum.* 252. *canitiem accelerat* 252
Miles in otio ad tumultus excitandos pronus 243. *bene educandi ſunt.* 243
Militaris rei ſcientia 247
Miracula interdum martyrum ſepulchris fiunt 179
Molendinorum loca. 193
Moneta Philippi Macedoniæ Regis. 189. *antiquitatem illuſtrant* 189. *ſq.*
Monumenta de reſurrectione nos admonent 225
Morborum cauſa acidum. 238. *ſq. hypochondriacus* 239
Mors ſæpe adeſt, quando funus alteri paramus. 177. *quando negotia meditamur.* 177. *non ſemper in patria expectanda.* 178. *officium homini in morte.* 178. *ſervitia impedit* 178. *ſq.*
Mulieres in India cum viris defunctis ſe comburunt 224
Mulomedicina 241
Muri quandoque arboribus conſiti ſunt 211
Muſæus Jo. 175. 237
Muſica origo. 230. *ad victum acquirendum & ſtudia continuanda conducit* 231
Muſica inſtrumenta in bellis adhibita 231
Mylius D. Ge. 200

Digitized by Google

N.

Natalis dies quo princeps imperium ſuſcepit 175
martyrum. 269
Natationis adjumentum Indis eſt ſaccus coriaceus 232
Navigatio periculoſa 238
Nebula aliquid ad hoſtem vincendum confert 165. *ſeq.*
Neu Jo. Chriſt. 187. ſq.
Nicotiana herba. Pilulæ ex ea confectæ dicuntur remedium contra famem 227
Noctua Palladi ſacra 170
Nomina interdum ſunt fatalia 145. *nonnunquam mutantur* 145
Nundinæ Chlopigorodenſes haud incelebres 189
Nuptiarum hoſpites 216

O.

Odii cauſa eſt odium alterius. 254. *hoc in aliquem excitare poſſumus crimina ejus enarrando.* 254. *Odio habentes rei odioſæ aſſimilari nolunt* 255
Offenſiones ſunt diſſimulandæ 254
Oleæ pacis ſignum 251
Olivæ. Tempus, quo colliguntur, olivitas dicitur. 169
Oraculorum inſtrumenta 183
Oratio non nimis longa, præſertim apud principes, ſit 201

Ordinandi ſacerdotes ritus quando ortus? 166
Oſcula quomodo figenda? 216

P.

Palæſtra 233
Palladi ſacra fuit noctua 170
Panacea an & quid ſit? 242
Panis ater non contemnendus 227. *ſq.*
Parentes filios à ſtudiis non arcere debent 146. *ſq. liberos ſecum habere cupiunt* 218. *non interficiendi* 219
Patres. eorum conſenſus non ſemper magnifaciendus 262
Patria. ibi non ſemper morimur 178
Pauperes ſunt alendi 236
Pax. ejus ſignum olea 251. *ante pericula amplectenda* 251. *Eccleſiaſtica durante de bello cogitandum* 268
Peccatum. In iis conſuetudo homines retinet 261
Pericula minatur navigatio 238. *ſæpe infantibus accidunt* 238
Perjuria puniuntur 191
Peſtis non ſemper eſt contagioſa 241. *ſtudioſorum cœtus ſolvit* 241
Phyſicus res obſcuriſſimas perſcrutatur 161
Pirus paucos in Churlandia fert fructus 169
Piſcator Petrus 263
Pœnarum variæ ſpecies 257. 258
Poculorum ſpecies olim fuit cymbalum 229

Digitized by Google

Polymathia ſectanda 150
Poma in Churlandia pauciſſima dantur 169
Pons longitudine celebris 212
Potus ſupplicio afficiendorum 257
Præda dives 245
Prælia ut feliciter committantur, medium 245. 246. *nonnunquam ex improviſo & intempeſtive ſunt ſuſcipienda* 246
Præſtigiatores res ignitas deglutiunt 181
Procellam avertendi medium 164
Profeſſores multis interdum profeſſionibus funguntur. 157. *ex facultate ſuperiore interdum in inferiorem transgrediuntur* 157
Publica cautè tractanda 208
Pumiliones beneſici erga homines dicuntur 174

R.

Raynoldus Jo. 148. 160
Reginaldus Guil. 160
Regna non ſunt divellenda 207. *ſeq.*
Reſurrectionis probatio 261. *ſeq.*
Rex liberalis eſto 195. *ſeq. uni præeſſe debent regno* 206. *ipſi expeditionibus bellicis adſint.* 206. *eorum eſt ſpreta voluptate ſalutem publicam curare* 206. *pauperum curam gerere debent* 207. *per longum interdum tempus regimine fruuntur* 207. *pœnis quandoque ſunt ſubjecti* 207. *potentia eorum clientes reddit tutos* 207

Risisse nunquam dicitur Luc. *Weisselrot* 146
Rixæ nobis sunt dedecori 205
Rœslinus Elisæus 163
Rorarius Ge. 266
Ructus emittere an indecorum quid sit? 175
Russi cultros non secum gestant 228. *Signo crucis se signant* 268

S.

Sacrificiis gentilium interesse Christianis prohibitum 267
Sagittæ ex arundine factæ 245
Sal interdum in fodinis invenitur 168
Saltatio. in his cymbala olim adhibita 232. *sq.*
Salus. ejus curam imbecillitas nostra indies excitat 262
Sansonius Nic. 156
Sapientia. ad hanc sectandam incitamentum 148
Schnepffius Erhard. 215. *seq.*
Scholæ. in iis pueri pietatem, bonos mores & artes docentur 157. *seq.*
Schonbergerus M. Huldaricus 173
Scortatio etiam post mortem punitur 218
Scriptor an libere aliquid scribere possit? 156. *autores, qui ante se de eadem materia scripsere, conferant* 156. *non semper taxandi* 156. *seq.*
Scripturæ S. interpres exegetas perlustrare debet 263. *ad hanc interpretandam doctores nonnunquam præmiis invitantur* 263

Digitized by Google

Seculum aureum quando vigeat? 179
Securitas fugienda 270
Securus poteſt eſſe rex virtute præditus 251
Seditio. in ea mandata negliguntur 242. *contra hanc remedium* 242. *ſeq.*
Sepulchrum. in martyrum ſepulchris interdum miracula patrantur 179
Sepultura honeſta hæreticis denegatur 223. *affectorum ſuppliciis* 224
Serpentum lingua triplex 170
Sexagenarium de ponte. Proverb. 219
Siberia. eò relegatis tributum Zobelos venandi juxta annos ætatis imponitur 212. *ſq.*
Sibyllas quid ad vaticinandum impulerit? 182
Silex. ex eo ignis excutitur 163
Sobrietas regum & principum decus 230
Societates majores injurias ab hominibus avertunt 205
Somnus ſummo mane eſt relinquendus 175
Sponſæ Livoni, in ſignum amiſſæ virginitatis, capillos abſcindunt 171
Statuæ Conſtantinopolitanæ 224. *ſq.*
Studia filiorum parentes haud impediant. 146. *eorum curſum quinam interrumpant?* 149. *ſq. ſeriis alia interdum ſunt interponenda* 150
Subditi armis ſunt vel acquirendi, vel in fide continendi 209. 210
Sulphur quandoque fluvii lacusve proferunt 168
Sylvæ olim puellis ſacræ erant 169

T.

T. litera quale signum 173
Taciturnitas prudentiam indicat 204
Tartari sunt exemplar constantiæ 180
Temerarii periculis obviam eunt 253
Tempestas a persequendis hostibus impedit 166
Templa. ad hæc exstruenda homines sæpe victoriæ spes impellit. 266. *ubi ædificanda?* 266. *sq. quædam pluribus numinibus fuere communia* 267
Temporis opportunitate utendum. 175. *sq. nocturnum res confundit* 173
Tentatio. ab his viri docti non sunt exemti 273. *sq.*
Terrena contemnenda. 272. *gloria vilipendenda* 272. *sq.*
Testamenti Novi tempus dicitur aureum seculum 179
Testamenta quibus leganda? 188. *pauperes præ cæteris respiciant* 188. *sq.*
Thesauri aliquando in parietibus absconditi hærent 185
Thessalia. Ibi olim magia culta 181
Tormentorum species 256
Trabea, qualis vestis? 234
Tributum juxta annos ætatis quandoque exigitur. 212. *sq. ad ea solvenda gentes antea liberæ difficulter coguntur* 213. *sq.*
Typographia a viris eruditis interdum instituuntur 159

Digitized by Google

V.

Valedicendum, ubi? 201
Varſavia, centrum multarum reſidentiarum dicitur 210
Venandi Zobelos modus qualis? 193
Ventum quandoque lunaris influxus excitat. 164. *ejus cauſa nonnunquam eſt motus fluviorum* 164
Verberibus quidam puniuntur 258
Veritas etiam invitis Magnatibo defendenda 204 *afflictionibus nihili habitis confitenda eſt* 271
Veſtes pretioſæ. 234. *purpureæ ubi paratæ* 234
Vexillorum inſignia 244
Via lata interdum periculoſa. 260
Vicini mali maximos inferunt cruciatus 222
Victoria virtute paranda. 249. *de ea ante pugnam gloriari non decet.* 249. *præmium victori datur* 249
Viſum recuperandi medium creditur bibitio aquæ 172
Vitæ ſignum eſt litera T. 173. *ejus conſervationem natura edocet* 173
Vitia noſtra non videmus, aliena judicantes 254
Uladislaus. Ejus anagramma 195. *ſeq.*
Vocationes interdum doctores remittunt 265
Voitius Jo. 271. David. 271
Urbes munitæ locum tutum præſtant. 211. *earum forma concinna & ſplendor.* 210 *in circulo circumjacentes.* 210. *quanam facili labore occupandæ?* 245. *aquæ muniendæ* 211

Digitized by Google

Urſis marinus aër intolerabilis. 164. in Numidia villoſiores 171
Vulnera in capite non ſemper ſunt letalia 239
Uxores maritos quandoque a morte liberant 216

W.

Weiſſelrot Luc. 146
Witteberga urbs 211

Z.

Zeſchius Wilh. 146
Zobelos venandi modus 193. 212. *ſq.*

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google